PSYCHOLOGIAE
EMPIRICAE
COMPENDIVM.

AVCTORE

IOANNE SCHOEN,

IN GYMNASIO WIRCEBVRGENSI PHILOSOPHIAE PROFESSORE P. O.

— — Ne prorsus inutilis olim
Vixisse hic videar, pereamque in funere totus.

MARCEL. PALING.

WIRCEBVRGI
SVMTIBVS AVCTORIS.
M. D. C. C. C. 12.

PSYCHOLOGIAE EMPIRICAE COMPENDIVM.

AVCTORE

IOANNE SCHOEN,

IN GYMNASIO WIRCEBVRGENSI PHILOSOPHIAE PROFESSORE P. O.

— — Ne prorsus inutilis olim
Vixisse hic videar, pereamque in funere totus.

MARCEL. PALING.

WIRCEBVRGI

SVMTIBVS AVCTORIS.

M. D. C. C. C. 12.

REVERENDISSIMO AC CELSISSIMO

S. R. I. PRINCIPI

AC

DOMINO DOMINO

GEORGIO CAROLO

EPISCOPO WIRCEBVRGENSI

FRANCIAE ORIENTALIS

D V C I

BAMBERGAE COADIVTORI

DOMINO DOMINO SVO

LONGE CLEMENTISSIMO

COMPENDIVM HOCCE

SVBMISSISSIME

DEDICAT



Seruorum infimus

Auctor.

Benevole Lector!

Hunc tibi libellum trado, qui profit, teque iudicem feuerum, aequum tamen experiatur, magnopere optans. Gloriam laudesque non quaero, fed viri fapientis atque eruditi adfenfum magni faciens, ipfo, haud minimo fane laborum pretio, delector & ad altiora prouocor. Vituperia ex veritatis amore fcientiaeque ftudio neutiquam promanantia animo conftanti fperno ac contemno; quae autem meliora mihi oftenderis, gratus accipiam; quae minus vere, diftincte & concinne dixerim, emendaturus.

Noua prorſus, inſolita & paradoxa hic non reperies: *veterem* enim tractaui hominem. Qua aliorum libris fideliter citatis vſus ſim, ratio facile pateſcit. Reliquum eſt, vt diſertis verbis obſeruem, meis proxime diſcipulis librum praeſentem ſcriptum eſſe: inde lingua latina & breuitas inter praecepta fuerunt. Vale!

Scripſi Wirceburgi 24. Iunii
1800.

Auctor.

Errata.

Pag. 8. lin. 13 repraeent. . l. repraesent. .
— in not. leg. LEIBNITIVS.
— 22. lin. 4 ab infr. Organis l. Organi
— 26. — 3 — §. 13. l. §. 12.
— 48. — 10 — oscillationem l. oscillationis
— 54. — 7 — cerebra l. crebra
— 126. — 4 — esse l. est

AD
PSYCHOLOGIAM EMPIRICAM
INTRODVCTIO.

---

§. 1.

Scientia — empirica, rationalis.

Scientia generatim dicitur complexus cognitionum fyftematicus, quarum fons, fi ipfa experientia fit, fcientia audit *empirica*, vt difcernatur a fic dicta *rationali*, cuius, quas complectitur, cognitiones ex ipfa ratione vt fonte deriuantur. Quum experientia *completa* nunquam dari poffit, confequens eft, vt fcientia quoque empirica nunquam completa edici queat, cuius igitur materia ceu *indefinita* fpectetur, oportet. Nec difficile perfpectu eft, fcientias empiricas neutiquam ea, qua fcientiarum rationalium vnaquaeque gaudet, certitudine excellere, propterea quod experientia tantum, effe aliquid, minime autem, tale neceffario exiftere, edocemur.

Haec modo dicta facile ad Pfychologiam qua fcientiam empiricam adplicabis.

§. 2.

Scientiarum empiricarum diuiſio generalis.

Scientiarum empiricarum obiectum generale *natura* eſt, quatenus hoc vocabulo cunctarum, quae ſenſibus ſubiici poſſunt, rerum complexus denotatur. Hinc ratione diuerſitatis ſenſuum, queis obiecta naturae percipimus, ſcientiarum empiricarum duplex generatim extat claſſis, quarum ſibi *altera* ſenſus *externi*, *altera* vero *interni* obiecta vindicat. Illa *Somatologia* (Körperlehre), haec *Pſychologia* (Seelenlehre) compellatur.

§. 3.

Pſychologiae limites.

Pſychologia eſt pars *Anthropologiae*, quae de conditionibus hominis *empiricis* doctrina eſt. Haec igitur totum hominem ſibi obiectum ſumit, Pſychologia vero animi phoenomena tantummodo pertractat. Anthropologia dein dicitur *Phyſiologia* (mediciniſche Anthropologie), quae ad inueſtigandum corpus humanum materiamque cum eo connexam reſtringitur, id modo expendens, quod homo ſoli naturae debet. Quatenus *tertio* Anthropologia de influxu corporis animique mutuo agit, atque phoenomena ex eo commercio prodeuntia explicat, *philoſophicam* adpellant. Anthropologiae denique illa pars, quae praecedentium partium cognitiones praeſupponens, hasce & generatim omnia, quae de homine experientia docemur, eum in vſum vertit, vt nos inſtruat, qualem ſe homo ipſe *faciat*, facere poſſit,

ac qualem oporteat, nuncupatur *pragmatica.* * Tribus hisce relictis Anthropologiae partibus accenſenda adhuc eſt Pſychologia, vt vocant, *rationalis*, penitiorem ipſius eſſentiae animi praetendens cognitionem. Pſychologia vero empirica de animo agit, qua phoenomeno, ſiue quatenus hic complexum phoenomenorum ſenſu interno perceptibilium deſignat.

§. 4.

Pſychologiae empiricae diuiſio

A. *in generalem, ſpecialem & indiuidualem.*

Pſychologia *generalis* agit de illis hominis conditionibus animique legibus, quibus quodlibet generis humani indiuiduum ſubeſt; *ſpecialis* autem ſingularum hominum claſſium diſcrimina indagat; *indiuidualis* obiectum vnicum indiuiduum eſt, cuius ſingula facta ad ſyſtema quoddam redacta philoſophice explicat, adeoque ex eorum nexu oſtendit, quomodo, qualis re ſit homo, talis euaſerit. Hic Pſychologiam generalem tractamus.

B. *in theoreticam & practicam.*

Theoretica de animo perhibet cuncta, quae vel ſint, vel contingant, vel contingere poſſint; *practica* vero, quae in theoretica ſtabilita ſunt, adhibet, vt exin praecipuos notatuque dignos hominis ſtatus internos explicet, regulas prudentiae ad fines nobis praefixos conſequendos,

* Kant's Anthropologie in pragmatiſcher Hinſicht. – Vorrede.

praeceptaue mutationes generatim in aliis producendi, ſtatuat, hominesque vere diiudicare doceat.

§. 5.

Pſychologiae partium conſpectus.

Pſychologia theoretica (empirica, vniuerſalis), cuius obiectum eſt animus huiusque facultates, earundemque leges, quatenus ſola experientia ſtabiliri valent, in tres partes (ad principia rationalia) recte diſpeſcitur:

I. partem conſtituit *theoria facultatis repraeſentandi* & quidem inprimis generalis, quatenus experientia duce vtimur. — Primariae huius partis iterum duae *extant* ſecundariae:

1) Pſychologia agit *de facultate cognoſcendi inferiori*, atque hac quidem parte

a) de *ſenſualitate*, ceu facultate obiectorum *praeſentium* intuitus habendi;

b) de *facultate imaginandi*, qua facultate intuituum obiectorum *abſentium*.

Hisce adiiciunt, quae de facultatibus, a facultate imaginandi maximam partem pendentibus, pſychologice tradi poſſunt, e. g. de praeuiſione, memoria, reminiſcentia &c., atque notatu digniſſimi animi ſtatus, e. g. meditatio, inſomnia &c. inde explicantur.

2) Pſychologia facultatem cognoſcendi *ſuperiorem* pertractat, & quidem ſpecialiter

α) *Intellectum* (Verſtand), tanquam facultatem conceptuum & iudiciorum;

β) *Vim iudicandi* (Urtheilskraft);

γ) *Rationem* (Vernunft).

Quibus *ſingulis* rurſus ſubnectitur *ſagacitas* (Scharfſinnigkeit), *ingenium* (ſenſu ſtrictiori Witz) & *generatim ingenium* (ſenſu latiori, Genie).

II. Pars ſecunda complectitur *facultatem ſenſionum* (Gefühlvermögen). Hac parte agitur:

1) de ſenſione in genere; &

2) de ſenſionibus ſpecialibus:

a) de ſenſione mere *ſenſuali*; b) de ſenſione mere *intellectuali*; c) de ſenſione *aeſthetica*; d) de ſenſione *morali*.

Hiscе doctrina de *affectibus* ſubiungitur.

III. Partem tertiam *theoria facultatis adpetendi* (Begehrungsvermögen) conſtituit. Hic

1) indagatis legibus adpetendi *generalibus*;

2) *ſpeciatim* agitur

a) de *propenſione*; b) de *inſtinctu*; c) de *inclinatione* (Neigung); d) de *paſſione* (Leidenſchaft).

Scholion 1. Tribus hisce Pſychologiae theoreticae partibus praeſertim abſoluitur *naturae animi disquiſitio* (die Seelennaturkunde), quam *Phyſiologiam* quoque adpellant; qua vero in theoria ſimul & morbi animi cognoſcuntur, e. g. noctambulatio, affectus, paſſiones, veſania &c., qui ſi peculiari parte pertractarentur, haec nomine *disquiſitionis aegritudinum animi* (Seelenkrankheits-

kunde) siue *Pathologia* insigniri deberet. Ad Psychologiam theoreticam psychologi insuper referunt *Semioticam*, *animi signorum doctrinam* (Seelenzeichenkunde). Verum ea parte proprie fit transitus a Psychologia theoretica ad practicam. Semiotica, quae *Physiognomicam*, *Pathogonomicam*, *Mimicam* & *psychologicam linguae doctrinam* continet, * in coniunctione cum doctrina de *Temperamento* a KANTIO ** *Characteristica anthropologica* hominis generatim salutatur; eademque cum *speciali* Characteristica diuersi nimirum sexus, nationis, Anthropologiae pragmaticae pars secunda est.

SCHOL. 2. Alii psychologi Psychologiae theoreticae partem quandam, quam supra Anthropologiam philosophicam nuncupauimus, admittunt. Quoniam vero haec pars ad Psychologiam practicam potius pertinet, nos hic eam silentio praeterimus.

* Empirische Psychologie von C. Ch. E. Schmid. pag. 30—34.

** Lib. cit. p. 253.

PSYCHOLOGIAE EMPIRICAE

SECTIO I.

DE FACVLTATE REPRAESENTANDI.

CAPVT I.

DE FACVLTATE REPRAESENTANDI GENERATIM.

§. 1.

Repraesentatio.

Nomine repraesentationis generatim id intelligimus, quo sibi conscius homo sit cum alicuius a se diuersi tum suimet ipsius vt subiecti repraesentantis. Facultas vero subiecti, repraesentationes habendi, facultas audit repraesentandi.

Haud igitur quaecunque mutatio in nobis contingens repraesentatio audit, quo nomine illa potius insignitur, qua *aliquid nobis* repraesentatur. Mutatio igitur interna, qua neque obiecti alicuius, ad quod referatur, neque subiecti repraesentantis conscientiam nanciscimur,

nulla eſt repraeſentatio. Repraeſentatio igitur absque conſcientia impoſſibilis. Ea enim talis foret, qua nihil & nemini repraeſentaretur, i. e. *nulla*. Repraeſentationem & conſcientiam intimo gaudere vinculo, exin ſuopte liquet.

Schol. Nolo hic immorari peruulgatae * liti: „num dentur repraeſentationes cum conſcientia non coniunctae" definiendae, conuictus totam litem tandem ad Logomachias delabi. Recentiſſimum exemplum ipſum praebuiſſe Kantivm non difficile perſpectu eſt; is enim *impreſſiones* in organa ſenſoria & *impreſſiones* facultatis imaginandi & memoriae aperte confundit cum *repraeſentationibus*. Illae impreſſiones ad conſcientiam euectae repraeſentationes demum dici poterunt.

§. 2.

De claritate & diſtinctione in conſcientia repraeſentationum.

Conſcientia repraeſentationum ad earundem obiecta ab omnibus aliis diſcernenda ſufficiens *Claritas* vocatur; *clara* hinc dicitur repraeſentatio, cuius obiecti adeo

---

* Repraeſentationes *mere obſcuras* praeſertim Leibnitzius, cuius aduerſarius Lockivs fuit; & inter recentiores Cl. Platner in Pſychologia ante paucos annos edita & recentiſſime Kantivs defendebant. Sententiam contrariam tenent Cl. Reinhold in theoria facultatis repraeſentandi & Cl. Schmid in lib. cit. & Cl. Reil in diſſ.

nobis conſcii ſumus, vt illud ab omnibus aliis diſtinguere valeamus; ſecus erit obſcura. Verum conſcientia, quae praeter priorem notam & hac gaudet praerogatiua, vt repraeſentationis varii, i. e. repraeſentationum, queis ea compoſita eſt, claritatem obtineamus, nuncupatur *Diſtinctio* (Deutlichkeit). Eſt conſequenter repraeſentatio *diſtincta*, ſi omnes eius notae, ſingulaeue repraeſentationes eandem conſtituentes clarae ſint. Repraeſentationi diſtinctae opponitur *non diſtincta*, cuius ratio in *confuſione* ſita eſt.

§. 3.

Repraeſentationes claras & diſtinctas habendi conditiones.

A. *Attentio.*

Attentionis defectum in cauſa nonnunquam eſſe, quare non tantum non clarae ſaepius ſint repraeſentationes, verum etiam nullas obiectorum licet praeſentium habeamus, larga nos docet experientia. Atque attentio quidem duplici ſenſu intelligi poteſt, nimirum vt *animaduerſio* (das Bemerken), & attentio in ſenſu proprio ſumta. Animaduerſio eſt ſtatus animi *inuoluntarius*, repraeſentationes efformandi, eaque eo maior ſemper, quo maior & viuacior ipſa vis repraeſentandi eſt, id quod pendet a ſtimulis ſiue irritamentis, quae ſi ſint nobis cognita, fortia, grata & ingrata facilius percipiuntur, cum ſua propria vi fortem animi actionem, quae praeſentem ſubprimit, ſuſcitent. Quo in caſu itaque ſtatus animi ceu neceſſarius ſpectari debet: verum

attentio in sensu proprio definienda, est status animi *quietis*, quam ipsi de industria siue ex arbitrio conciliamus, vt praesentem fortiorem animi actionem cohibentes mitiori stimulo euoluendi actionem locus comparetur. Attentionem in hanc vel illam rem dirigendi habitum vsu adquirimus. Quibus haec est facultas, *animi praesentia* (presence d'esprit) tribuitur; status animi ei oppositus *absentia* * audit.

§. 4.

Cont. Attentionis praedicata & leges.

Ratione modi, quo ad rem quandam attentio dirigitur, haec vel est 1) *perdurans* siue fixa (anhaltend), quatenus circa idem obiectum satis diu versatur; secus *volatilis* (flüchtig) dicitur; vel 2) attentio salutatur *secundum regulam procedens* (ordentlich, regelmäſsig), si animus finis sibi conscius sit, cuius consequendi gratia attentionem in hanc vel illam rem figat; secus *distracta* (zerstreut) vocatur.

---

* *Distractio* (Zerstreuung) est status animi, vbi attentio a certis repraesentationibus auersa ad alias heterogenas dirigitur. Distractio hinc vel est *dissipatio* (voluntaria distractio) vel *absentia* (involuntaria distractio). Illa nonnunquam necessaria est & beneuola; haec vero vitiosa semper, ipsaque habitualis praesertim lectione librorum redditur, quorum tenor phantasiam potius, quam intellectum occupat.

Quoad attentionis leges, notentur fequentes: a) Attentio fixa erit, nifi fortiori ftimulo ftatus arbitrii vincatur; b) volatilis eadem erit, fi ftimuli continuo fortiores eo in cafu fefe excipiant; c) vt attentio perduret, multum quoque refert, quodnam fit obiectum, circa quod animi actiuitas verfetur; num huic praebeatur varium *conveniens*, nec ne; alias animus mox defatigatus attentionem ad alia obiecta diftrahet; d) diftracta denique attentio erit, animo plures fimul fines, qui repraefentationibus determinentur principalibus, ad quas materia data facili negotio referatur, profequente.

§. 5.

B. *Abftractio.*

Abftractione fimiliter ac attentione *arbitraria* nobis competit confcientia noftrarum repraefentationum, quas claras diftinctasue reddere nitimur. *De aliqua repraefentatione abftrahere*, nihil aliud eft, quam repraefentationem, cuius confcii fumus, quandam cohibere, quominus cum aliis in vna confcientia coniungatur. *Aliquid autem fibi abftrahere*, (e. g. regulam) eft confcientiam nancifci eorum, quae ex comparatione rerum ad nos relatarum facta refultant. * Facile exin colligitur, quid fit, repraefentare aliquid *in abftracto* & *in concreto.*

* Abftractio eo fenfu fumta (Abfonderung) proprie *reflexionis* nomine (Ueberlegung) forfan diftinguenda erit. Reflexio enim generatim comparatio rerum eft iuxta earundem diuerfitatem & fimilitudinem, vt, quae in vario heterogeneo communia contineantur, perfcrutemur.

Qui hac facultate abſtrahendi pollet, non coactus, ſed liber in repraeſentando adparet, plenumque in repraeſentationes ſuas dominium exercet, quatenus arbitrarie omnes repraeſentationes ex coniunctione cum alia in vna conſcientia excludit, vt eam ſolam cogitando perſequi poſſit; illi igitur iure tribuitur *animus ſui compos.*

§. 6.

Cont. Abſtractionis vſus.

Abſtractione duplici hic adſignando modo cum fructu vtimur.

1) Repraeſentationes praeſertim diſtinctas eius ope reddimus. Namque hac fit, vt quamlibet repraeſentationem cum aliis in vna conſcientia connexam ſeorſim poſſimus ſpectare, quo non poteſt non effici repraeſentatio clara atque diſtincta.

2) Omnis diſquiſitio de nouo inſtituenda abſtractione tantummodo fit poſſibilis. Vt enim de nouo inquiramus in veritatem quamcunque, de hucuſque cognita validaque repraeſentatione illius abſtrahamus, neceſſe eſt, ad formulam A non eſt A. Conſequenter facultas abſtrahendi etiam dici poteſt facultas repraeſentationem aliquam non habendi.

§. 7.

Cont. Abſtractionis dignitas pſychologice expenſa.

Quanti ſit abſtrahendi facultas, iam ex modo §. pr. dictis concludere licet. Abſtractionis defectus in cauſa

cenſendus, quare mens praeiudiciis ſemel capta, hisce vix vnquam liberetur. Inde quoque ſit, vt homines ſaepiſſime actiones principiis, quae ipſi profiteantur, repugnantes ponant. Ita regem in exilium a ſuo miſſum populo iamque cuilibet ciui aequalem conductores ſolitis fortaſſis honoribus veneraturi forent, propterea quod regem ceu non regem conſiderare haud poſſent. Eadem ex ratione plurima hominum pars veteri ſolitoque tenax inſiſtit, aliorumque ſub tutela gemit; vinculi enim conſueti repraeſentationum vi fertur. *

CAPVT II.

DE FACVLTATE COGNOSCENDI INFERIORI.

§. 8.

Quid ſit facultas cognoſcendi? quid inferior, ſuperior?

Repraeſentatio *ſenſualis*, i. e. repraeſentatio ex adfectione, quatenus ſubiectum repraeſentans factarum impreſſionum conſcium ſibi ſit, orta opponitur *intellectuali*, ex ipſa animi actiuitate progenitae. Reſpectu repraeſentetionis ſenſualis animo competit *Paſſiuitas*, & facultas recipiendi; reſpectu vero intellectualis charactere *Spontaneitatis* (Selbſtthätigkeit) inſignitur. Neutra vero, nec repraeſentatio ſenſualis, nec intellectualis per

* KANTII Anthrop. pag. 4.

ſe eſt *cognitio*, quippe quae ex ambarum coniunctione primum oritur, dum nimirum varium receptiuitatis ope animo datum ſpontaneitate ad vnam conſcientiam coniungitur. Ratio poſſibilitatatis cognitionum audit facultas cognoſcendi; eaque *inferior* ad vſum loquendi philoſophicum, licet minus adaequate, vt patet, compellatur, quae tanquam fons ſenſualium repraeſentationum conſideratur; *ſuperior* vero fons intellectualium eſt repraeſentationum.

§. 9.

Facultatis cognoſcendi inferioris diuiſio.

Repraeſentatio ſenſualis *intuitus* (Anſchauung), intellectualis generatim *conceptus* (Begriff) nuncupatur; illa *ſenſualitati*, haec *intellectui* adſcribitur. Quoniam obiectorum intuitus habere poſſumus, iis vel abſentibus vel praeſentibus; hinc ſenſualitas binas complectitur facultates, 1) *ſenſum*, i. e. facultatem intuituum obiectorum praeſentium; & 2) *imaginationem*, ceu facultatem intuituum obiectorum abſentium.

CAPITIS I.

FACVLTAS COGNOSCENDI INFERIOR.

ARTICVLVS I.

DE SENSV.

§. 10.

Senſus in- & externus.

Senſus diſpeſcitur in *internum* & *externum*, ratione obiectorum, queis adficitur, habita; ea enim vel ſunt obiecta extra nos poſita, vel ipſe animus. Senſum internum confundere noli cum *interiori* (den inneren Sinn mit dem inwendigen), qui receptiuitas eſt pro *ſenſionibus*, taedii ſcil. & voluptatis, queis repraeſentationes hominem *determinent* ad animi ſtatum, quem efficiunt, vel conſeruandum, vel tollendum.

§. 11.

Senſatio.

Repraeſentatio ſenſus ope habenda audit *empiricus* intuitus, atque hic quidem generatim *ſenſatio* dicitur. Senſatio ratione ſenſuum vel eſt externa, vel interna, haec *ſenſio* quoque adpellatur. Senſatio ſenſu ſtrictiori mutatio eſt, in nobis cum conſcientia contingens, qua attentio ad ſtatum noſtrum internum excitatur. Conſequitur, de ſenſationibus viſus, auditus &c. in ſenſu latiori tantummodo poſſe ſermonem haberi.

§. 12.
Externarum ſenſationum organa.

Quo in corpus humanum fit impreſſio, qua percepta primum ſenſatio oritur, *ſtimulus* ſiue *irritamentum* (Reitz), & capacitas ſubiecti pro ſtimulis *ſenſilitas* (Empfindlichkeit) dicitur. Quae vero hosce ſtimulos pro ſua ſenſilitatis indole recipit, corporis humani pars *organon* audit, quale Phyſiologi neruos ſtatuunt. Quum iam ſenſationes aliae nonniſi adfectione totius neruorum ſyſtematis, ideoque *ſenſationes vitales* dictae, oriantur; aliarum autem geneſis ſolam quarundam corporis neruoſarum partium adfectionem requirat, quae proin *ſenſationes organi* (Organempfindungen) ſalutantur: hinc habetur & organon ſenſorium vitale (*ſenſus vitalis*) & organon ſenſorium ſimpliciter (*ſenſus fixus*) dictum.

§. 13.
Senſationum externarum organa ſenſoria.

Senſoria organa nonniſi quinque duce experientia hucuſque enumerata ſunt & ſtabiliri poſſunt: * quae ſunt organon viſus, auditus, olfactus, guſtus, tactus.

---

* Experimenta a Cl. SPALANZANI de veſpertilionibus & recentiſſime de quadrupedum barbulis labii ſuperioris a Cl. GERHARD VROLIK (N. Würzb. gel. Anz. v.J. 1800. Beylage Nr.11—12) ingenioſe capta organon ſenſorium *ſextum* non produnt, ſed potius organi ſenſorii *tactus* ſubtilitatem euincunt.

Organa haec ſenſoria in duas claſſes cum KANTIO diſpeſcere nobis liceat; quarum vna complectitur organa magis *obiectiua*, quam *ſubiectiua*, i. e. quae obiecti cognitionem potius adiuuant, quam organi adfecti conſcientiam excitant. Ad hanc pertinent viſus, auditus, tactus. *Guſtu* vero & *olfactu* alteram claſſem organorum conſtituentibus ſenſationibus gratis & ingratis fruimur, ad quas ipſa etiam obiecta diuerſis praedicatis *mere ſubiectiuis* ſignantur.

§. 14.

Encephali deſcriptio.

Vt modus, quo ſenſoriorum organorum auxilio obiecta externa percipimus, magis eluceſcat, ſingulorum ſtructura explicanda eſt; quod quo facilius & perſpicacius fieri poſſit, de fonte neruorum atque dein de hisce ipſis & muſculis pauca diſſerere iuuat.

Encephalum autem, nobiliſſimum viſcus, *cranio*, (Schädelhöhle) quaſi theca oſſea incluſum, vt ab exterioribus iniuriis immune ſit, tribus partibus conſtans, juxta Anatomicos diuiditur in a) *Cerebrum* (das groſse), b) *Cerebellum* (das kleine Gehirn) & c) in *medullam oblongatam* (das verlängerte Mark), cui adiunctus eſt *funiculus ſpinalis* (das Rückenmark). Quae pro vario ſitu diſtincta proſequi nobis liceat.

a. *Cerebrum.*

Quam primum oſſa cranii ſemota concipias, oculos ſubit corpus ad ipſorum conformationem comparatum,

tunica albicante tendinofa fatisque craffa, offibus firmiter adhaerente circumdatum. Membranam duram, feu matrem duram adpellant, quam duplex lamina componit, exterior cranium fpectans, interior cerebro obuerfa. Haec ab exteriori ad criftam offis ethmoidei (Riechbeinskamm) fecedens retro vfque attingit tuberculum occipitale, ac reflexa per ipfam cerebri fubftantiam in falcis formam cauata (vnde *falcis* cerebri nomen) defcendens cerebrum diuidit in duo (inepte quidem dicta) *Hemifphaeria.* Ex dictis & ipfa cranii conformatione marginem huius membranae fuperiorem conuexum & inferiorem concauum rite diftingui, fuopte liquet. Iam vero laminis vtrinque denuo poftrorfum abeuntibus a femet ipfis & ad latera offis occipitis protenfis *tentorium* cerebelli (das Gezelt) efformatur, cuius in medietate locatur *falx cerebelli* eadem, ac *falx cerebri*, forma — fere confpicua. — Praeter matrem duram Encephalum propius inuoluitur a membrana *arachnoidea* (Schleimhaut) & *vafculofa* (Gefäfshaut) fiue pia matre. Haec intime ipfam fubftantiam cerebri profequitur, imo in ipfos fubrepit *ventriculos* (Hirnhöhlen) ob vaforum multitudinem tenaciffima.

§. 15.

Continuatio.

His iam inuolutum tunicis cerebrum omne fpatium cauitatis cranii fuperum implet, fuperficie altera conuexa fuperiori, altera inferiori plana, quae bafis dicitur, confpicuum, inque duo, vt monuimus, hemifphaeria

falce ſua diuiſum. Iſthaec proxime iungit corpus quoddam candidum, medullare, tres fere pollices longum, quod calloſum (Hirnbalken) nuncupant. Corpus hoc ex ſuperficie inferiori lamellas demittit tenerrimas pellucidasque cauitatem intercipientes, quae ventriculus ſepti medii dicitur. — Porro ad latera corporis calloſi vtrinque cernitur ventriculus *tricornis* (dreyhörnige Hirnhöhle) ſepto medio interiecto dextrum ac ſiniſtrum dirimente: in ventriculum autem ipſum patent corpus *ſtriatum* (geſtreifte Hügel) thalami neruorum opticorum (Sehehügel) & corporis calloſi proceſſus. Adeſt praeterea inter thalamos neruorum opticorum ſpatium ſatis amplum, cui ventriculo tertio nomen impoſuerunt, ex quo via ad quartum per *aquae ductum Sylvii* corporum *quadrigeminorum* (durch den Kanal der vier Hügel) patet ventriculum, qui in cerebello viſitur. — Notatu etiam dignum, ante *glandulam pinealem* (Zirbel), quae eminentias inter anteriores corporum quadrigeminorum paulo profundius locatur, ex anno aetatis 14, calculos citrini coloris & ſemipellucentes duobus vel tribus cumulis diſpoſitos, conſtanter praeſentes reperiri, qui aceruulum cerebri, quem vocant, conſtituunt.

b. *Cerebellum.*

Cerebellum aeque, ac cerebrum membrana vaſculoſa circumdat, ſub tentorio poſitum duobus item hemiſphaeriis diſtinctum. Cerebelli, praeter ſubſtantiam cerebri, quae corticalis & medullaris eſt, tertia quaedam nigra indagatur.

c. *Medulla oblongata.*

Medulla oblongata ſpectari poteſt ceu appendix encephali, quae corporibus reſtiformibus cerebello iungatur, ac ſpinalem funiculum per columnae vertebralis (Wirbelhöhle) canalem ad os vſque ſacrum demittat, finiendum ibi in caudam equinam ſiue faſciculum neruorum ſpinalium infimorum.

§. 16.

N e r u i.

Ex encephalo & ſpinali funiculo nerui originem ducunt, fila quaſi teretia, albicantia, membrana vndique circumdata, quae eſt piae matris prolongatio, ac *neurilema* dicitur. Horum ex encephalo prodeuntium omnium fere primordia ſua ex ventriculis, vt quidam Anatomici volunt, capientium 12 paria numerantur, ſenſationibus habendis & motui vtplurimum inſeruientium. Neruorum denique ſpinalium paria ſunt 30, vario vſui dicatorum, maxime ad muſculos pertinentium.

§. 17.

Muſculi.

Sunt inſtrumenta motus muſculi, quorum duas quilibet extremitates tendineas vtplurimum habet, quas inter corpus muſculi intermedium eſt, *venter* (Bauch) etiam vocatum. Tendo fibris efficitur nitentibus, in aliis muſculis reſtes velut ſubrotundas, in aliis vero extenſiones tendinoſas, *aponeuroſes* (ſehnigte Ausbreitungen

conſtituentibus, queis oſſibus interdum etiam aliis corporis partibus alligatur. Muſculus ipſe demum lacertis carneis fit maioribus, quos pedetentim efformant minores faſciculi vel in directum vel in obliquum tendentes; vnde & varia in integris muſculis fibrarum directio.

§. 18.

Oculi ſtructura.

Externis oculi partibus relictis, oculi bulbus, e certo tunicarum humorumque numero coaleſcens, inprimis conſiderandus eſt. Tunicae tres habentur, quorum extima *ſclerotica* (die harte Augenhaut) dicta bulbum oculi format, atque inueſtit. Eius pars anterior pellucida & conuexa *cornea*, poſterior autem foramine orbiculari pertuſa, per quod nerui optici ſubſtantia medullaris transmittitur, *cornea opaca* adpellatur. Infra ſcleroticam 2) iacet *choroidea* (die braune Augenhaut), membrana mollis & vaſis pleniſſima. Conſtat ea binis membranis *externa* & *interna*. Externa in anteriori parte deſinit in albicantem, craſſum & vna fere linea latum circulum, qui *ligamentum ciliare* (das Strahlenband) vocatur. Hoc iam loco membrana interna ab externa deflectens annulum membranaceum, fere planum, quem *Iridem* adpellant, efformat; is in medio pertuſus eſt foramine *pupilla* ſiue *prunella* (der Augenſtern) dicto, quae radios lucis excipit eo pauciores, quo anguſtior contractione illius annuli redditur. Poſterior huius membranae pars *vuea* (die Traubenhaut) audit. — Tertia

denique tunica *retina* adpellatur, quae & ipſa ex neruo optico ortum ducit.

§. 19.

Cont. Humores oculi.

Tres pariter humores ad oculi ſubſtantiam pertinent. a) *Humor vitreus* eſt maſſa ſolida, gelatinoſa, pellucida vitroque liquefacto ſimillima. Humor iſte maximam oculi cauitatem a neruo optico vſque ad vueam fere implet. b) Humori vitreo ſuccedit *cryſtallinus* ſiue *lens* (die Kryſtalllinſe), vti vitreus, propria tunica (capſula lentis) incluſus, humori vitreo inſidet, eique foueam cauam imprimit, vſque ad circulum maximum illi velut immerſus. Situm habet eiusmodi, vt axis pupillae cum eius axe in eadem recta iaceat. Quum lens corpus ſolidum ſit, minus adaequate humoribus adnumeratur. c) Tertius humor *aqueus* dicitur, tum *cameram* oculi *anteriorem* inter corneam & iridem, tum *poſteriorem*, cauitatem inter iridis tergum & lentem cryſtallinam, implens, corneam antrorſum vrget & expandit, lentem a tergo iridis remouet, & humori vitreo adprimit.

§. 20.

Quomodo viſio peragatur?

Organis huius ſenſorii ope ſenſationes non obtinemus, niſi *mediatas*. Irritamentum enim neceſſarium ſiue medium lux eſt. Lucis nimirum radii ab obiecti ſingulis punctis reflexi multiplici dein modo per oculi bulbum

transgredientes a cornea & humoribus refracti, iam denique in tunica retina obiecti imaginem depingunt: qua dein facta in neruum opticum impreſſione & ad cerebrum propagata, oritur ſenſatio viſionis.

Quoniam non imaginem, ſed obiectum *iuxta ſuum ad alia relatum obiecta ſitum* cernimus, patet, id ipſum, licet imago inuerſa in retina depingatur, ſitu tamen erecto videri debere. Qua denique magnitudine obiecta diuerſis in diſtantiis cernamus, dependet praecipue ab angulo *viſorio* ſiue *optico* (Sehewinkel), vti facile oſtenditur. Senſationes formae, figurae, motus, diſtantiae, magnitudinis &c. obiectorum nos vix obtinere viſu abſque organo tactus, infra docebimus.

§. 21.

Auris.

Partes auris externae ſunt: 1) materia cartilaginea, elaſtica, & recipiendis tremoribus perquam idonea; 2) *foramen auditorium externum*, quod vndas aereas prima vice recipit; 3) *meatus auditorius externus*, quem canalem terminat Tympanum. Ad internas partes pertinet a) *Tympanum* (das Trommelfell), pellicula ſubtilis, quae oblique adponitur meatui auditorio, ne recta in illam impingens aer eam vehementius, quam par eſt, feriat, aut omnino disrumpat. b) Tympano interius adhaerent quatuor oſſicula, os *orbiculare*, *ſtapes*, *incus*, *malleus*, cuius pars *manubrium* dicta medio fere tympani adnexa eſt, eique tendendo laxandoue inſeruit. — b) Poſt tympani membranam ſequitur *cauitas* tympani aere repleta,

in quam *tuba Euſtachiana* deſinit, cuius ope aer ex ore ipſo in tympani cauitatem ſubit. Cauitatem dictam excipit c) *Labyrinthus*, cuius diuerſiſſimae etſi ſint partes diuerſimode flexae, ordine tamen pulcherrimo connexae reperiuntur; eae ſunt *cochlea* (die ſchneckenförmige Höhle), *veſtibulum* (der Vorhof) & *canales ſemicirculares*. Labyrinthus inſuper medullarem ſubſtantiam & tenuiſſimam aquam continet.

§. 22.

Auditus explicatur.

Aures *mediatae* pariter ac oculos ſenſationis organa eſſe liquet. Medium eſt *ſonus*, ſiue aer nos vndique ambiens a corpore ſonante ad motum vndulatorium coactus. Aeris vndae per meatum auditorium externum ad tympanum delatae cum hoc ipſo motum tremulum communicant, qui cauitatem tympani emenſus a Labyrintho excipitur. Hic iam fit in medullarem ſubſtantiam & humorem aqueum tenuiſſimum impreſſio, qua ad cerebrum a neruo acuſtico propagata ſenſatio auditus oritur.

A ſono, qui ratione intenſionis vel *debilis* vel *fortis* eſt, ad cuius proin conditionem corporibus varia tribuuntur praedicata, *tonum* diſtingues, quo vocabulo ſonus certae ac determinatae altitudinis aut profunditatis indicatur.

Arbitrio in organum auditus influxum aliquem eſſe, dubio caret. Quodſi enim ſonum quempiam diſtincte admodum percipere volumus, tenduntur muſculi auris

externae, praefertim autem laxatur vel tenditur membrana tympani ope mufculorum mallei.

§. 23.

Organorum fenforiorum guftus & odoratus affinitas.

Organon odoratus praefertim in *membrana pituitaria, mucofa fiue Schneideriana*, quae totam nafi cauitatem obducit, quaerendum eft; in ea enim magna neruorum muco gelatinofo obductorum copia reperitur, quorum adfectione fenfatio odoratus oritur.

Organo guftus autem inprimis inferuiunt *papillae* (Gefchmackskörner-Wärzchen) in lingua reperiundae, quarum triplex extat fpecies, nimirum *fungiformes* fiue *capitatae* (fchwammförmige) admodum irritabiles; *coniforme* fiue *pyramidales* funt, quarum maxima eft copia; & *lenticulares* (halblinfenförmige) in extrema & media linguae parte.

Vtrumque organon haud immediate ab obiectis ipfis, verum falinis & particulis oleofis in ipfis contentis atque ab aere & faliua folutis adficitur adeo, vt odoratus obiectorum magis diftantium guftus nuncupari poffit.

Affinitas iftorum organorum ex eo patet, quod fenfationes fe inuicem excitent, vnaque in alteram abeat, ad quod tranfitus membranae Schneiderianae in os plurimum conferre videtur. Dein, qui organo odoratus eget

eget, debili quoque eum guſtu frui, experientia teſtatur. Neutro denique proprias obiectorum notas cognoſcimus, ſed praedicatis iis tributis nonniſi relatio obiectorum ad ſubiectiuam ſenſilitatis organi indolem exprimitur.

§. 24.

Organon tactus.

Organon tactus (der Betaſtungsſinn) praecipue in manu digitorumque apicibus, qui magna papillarum copia, vſu atque exercitio gaudent, ſitum eſt. Caeteroquin vero & cuilibet alii corporis parti, vbi nerui terminantur, capacitas pro ſenſationibus tactu oriundis conuenit. Quia id, quod non reſiſtit, tangi nequit, ſequitur, tactum vnicum immediatarum ſenſationum organon ſenſorium eſſe. Hinc cl. Abel * errat, dum obiectorum actionem in tactum per media, effluuia nimirum caloris e corpore calido euolui contendit. Nam nunquam corpus, quod calorem fundit, ſed ſolum calorem, ergo id, quod nos immediate adficit, tangimus. Neque non cl. Jacob ** errat, qui conceptus laeuis, aſperi, humidi, ſicci ope organi tactus nos adquirere cenſet. Senſationes enim laeuis, aſperi &c. ſunt ſenſationes *vitales* (§. 13). Organo tactus ſolam corporum figurae repraeſentationem nanciſcimur, illorum ſuperficiem ex omni parte tangendo.

* Ueber die Quellen des menſchlichen Vorſtellungsvermögen. S. 153.

** Grundriſs der Erfahrungsſeelenlehre. 2te Aufl. S. 90. §. 143.

SCHOLIVM GENERALE I. Si quaeras: quodnam organorum fenforiorum *vtilissimum* fit? primo nominandum loco eft organon tactus. Tactus enim quafi rector & corrector reliquorum. HELVETIVS ea de ratione hominem fapientiffimum effe aeftimauit, quia manibus gauderet. Senfationes reliquis organis obtentae funt, quae de natura corporis eiusque determinationibus parum nos erudiant. Tactu priuatos reliqua organa incertos de rerum nos ambeuntium exiftentia relinquerent, mutationesque animi, ope ipforum factas, differentes effe modos noftrae exiftentiae putaremus. Ipfam corporum figuram absque organo tactus nunquam discere poffemus. Oculi enim ope, c. g. in globo vmbrae difpofitionem folam, tactu vero corpus globofum reuera percipimus, quod quidem deinde & vifu, cum umbrae difpofitionis fignificatum tactu didicerimus, percipere poffumus. Simili modo ope tactus primas diftantiae rerum repraefentationes nancifcimur; videmus obiecta, brachia extendimus, & extra nos pofita obferuamus, mouemur ab vno obiecto ad alterum, & hac ratione diftantiam dimetimur. Caecus natus, cui CHESELDEN decimo quarto aetatis anno cataractam deprimebat, omnia vifa fuum oculum attingere credebat, & longo demum vfu vifus repraefentationes ope tactus emendabat.

SCHOL. 2. Si vero quaeritur, quisnam *nobiliffimus* fenfus fit? refpondendum effe arbitror: organon vifus. Huius enim

1) ampliffima *fphaera*. Eft autem fphaera fenfuum

(Wahrnehmungskreis der Sinne) complexus locorum, ex quibus obiecta eorum ope percipi possunt, & locus hac in sphaera, in quo obiecta facilius percipiuntur, *punctum perceptionis* dicitur. Maximam iam obiectorum varietatem ad perquam magnam oculus capit distantiam; oculo primum succedit organon auditus. Angustissima vero tactui est sphaera.

2) Perceptiones oculo obtentas non concomitantur sensationes *internae*, conscientiam nimirum adfecti ipsius organi haud habemus. Hoc respectu & auris rursus immediate oculo succedit. Vtrumque vero organon communi hac gaudet praerogatiua, vt ab aliis organis suo in munere haud suffulciantur, sicut e. g. in lingua fit, quae gustat & tangit. Immo nares cooperantur, dum odore priuati sapore acuto caremus. Hinc est, quare illos sensus *simplices* hos *compositos* adpellitent.

3) Organon visus tardissime exhauritur, quum e. g. tactus, olfactus per breue tantum tempus absque decremento agant.

4) Visus vnico momento temporis plures distinctas repraesentationes proferre posse videtur, quum plurimi reliqui sensus vno momento vnam tantum sensationem distinctam proferant.

Schol. 3. Ratione vitae suauitatis, quam ope organorum sensoriorum obtinere possumus, certe primo loco ponendum est organon auditus. Nam

1) Organo auditus poſſibilitas, quae ſentimus & cogitamus, ſonis articulatis cum aliis communicandi, conſequenter perſectiſſimae linguae poſſibilitas innititur. Quaenam autem & quot laetitiae in ſocietate & commercio cum aliis vnico ex hoc fonte fluant, haud vllum fugit. Siquis igitur hoc organo, quo fruebatur, iam priuatur, absque dubio vitam trahet magis infortunatam, quam alio quodam ſenſu priuatus. *

2) Organo auditus *Muſica* ſit poſſibilis, qua artificiali tonorum compoſitione, ſenſiones excitantur, ſeu noſtras cum aliis communicamus. Senſus conſequenter vitalis Muſica non tantum differenti ac viuaci modo mouetur, verum etiam maxime confortatur.

Schol. 4. Notatu adhuc digna ſenſuum acerrimorum exempla duco, praecipue in brutis. Sed *immenſiuum* eſt animalibus ſenſuum robur, quippe quae nunquam, vt homo, ob organorum internorum ſimplicitatem totam regionem vel cohortem militum vno intuitu conſpiciunt. Indigena *Capitis bonae ſpei* naues plura milliaria a littore remotas, oculis nudis detegit, quas armatis vix percipit Europaeus. Sunt, qui oculo microſcopico donati, picturas maxime minutas cerae incidere poſſint. In inſulis *Antillis* dictis *Aethiopes* alios homines ſolo odore ducti, vti canes veſtigia domini vel ferarum, perſequuntur. Puer quidam in ſiluis educatus, odoratu aduentum hoſtium percipiens hunc parentibus annuntiabat; capti

* Kantivs lib. cit. pag. 56.

dein eiusdem pueri organon debilitabatur quidem; at tamen eo difcernere valuit veftigia fuae vxoris ab aliis, eamque hoc medio detegere.

Exemplum vltimum fimul rationem docet, quare acerrimi fenfus adeo rari reperiantur. Etenim *nimio* vfu plerumque corrumpuntur, eorumque debilitatur acies. Ita odoribus diuerfiffimis & vehementibus femper circumdati impreffiones fubtiles haud amplius percipimus. Exercitio autem organa fenforia admodum perfici poffe, praefertim probant exempla hominum, qui vno organo fenforio priuati alterum quoddam acerrimum reddidere, quo dein *vicario* modo vtebantur.

Organis denique fenforiis obiecta non percipi poffe, fi impreffio nimis vehemens fit, quotidiana experientia vincimur.

§. 25.

Senfus internus.

Senfus interni ope mutationes intra nosmet ipfos (in tempore) contingentes percipimus. Senfus enim internus, ceu animi proprietas, determinata receptiuitas eft pro materia, quae datur, quum nosmet ipfos animi fpontaneitate interne adficimus. Exin fua fponte fluit fequela, animum fenfus interni organon adpellari poffe, cum perceptio interna nonnifi ipfius animi fpontaneo actu, i. e. eiusdem functionibus praegreffis poffibilis fit. Quamquam caeteroquin probabile eft, fenfum quoque internum organis fenforiis vt externum adftrictum effe;

nulli tamen desuper hypothesi hucusque inuentae vlla superstrui potest veritas.

§. 26.

Perceptiones sensus in- & externi comparantur.

Quas sensu externo nanciscimur, repraesentationes cum illis ope interni sensus obtentis ratione vigoris & claritatis comparari queunt:

A. *ratione vigoris.*

Vigor repraesentationis (Lebendigkeit, Stärke der Vorstellung) consistit in maiori vi, alias adhuc animi facultates excitandi, quae circa eandem repraesentationem, quam excolant, versentur. Haec repraesentationis vis inprimis attentione sese prodit, quam in se fixam adeo tenet, vt totam vim repraesentandi ad se solam quasi rapiat.

Intuitus iam ad obiecta externa relatos maiori in regula gaudere vigore, quam repraesentationes sensus interni, ex sequentibus colligere est:

1) maiori gradu & continuo ab obiectis externis afficimur, quo fit: a) vt copia materiae ab externo sensu receptae multo maior sit maiorque varietas, quam interna; b) vt animus, circa obiecta externa potius quam circa proprium suum statum versandi, irritamento gaudeat; c) vt animi actiones respectu materiae ab interno datae turbentur ac impediantur.

2) Receptiuitas pro materia extrinſecus aducta, ſeu ſenſus externus conſuetudine atque exercitio crebriori ac praematuriori, quam internus excolitur, eius igitur actiuitas, interni actiuitate maior eſſe ſolet. Inde explicatur quoque phoenomenon, pauciſſimis hominibus facultatem intuituum internorum ſubtilem competere; id quod colligi adeo ex ſignis valet, quippe quae ad objecta mere interna ab intuitibus externis plurima parte translata eſſe intelliguntur.

§. 27.
Continuatio.

B. *ratione claritatis.*

Quum ea, quae modo de perceptionum vigore, externas cum internis comparando, docuimus, & de earundem claritate valeant: manifeſtum eſt, obiectorum externorum intuitus generaliter internis clariores fore. Hinc ſcire iuuat, quomodo obſcurae repraeſentationes ſenſus interni ope adquiſitae ad claras eueli queant. Quem in finem notentur regulae ſequentes:

1) Actiuitas ſenſus interni promoueatur, regula primaria praeſcribit. Hoc vero efficitur:

a) Attentionem ad animi ſtatum internum in conſuetudinem vertere adeo conemur, vt quae intra nos eueniunt, cuncta facilius percipiamus.

b) Ea, quae in ſenſum externum influxum atque vim habent, amoueamus, ſiue ſenſus externi adfectiones, vt par eſt, cohibeamus.

2) Ipſa repraeſentandi vis perficiatur. Quo enim huius cultura inſignior, eo clariores quoque generatim nanciſcimur repraeſentationes.

§. 28.

Apologia ſenſualitatis.

In fauorem intellectus tria ſenſualitati obiici ſolent: 1) *ſenſualitas confundit intellectum*; 2) *ſenſualitas nata intellectus ſerua dominium ſibi arrogat*; 3) *ſenſualitas fraudi nos implicat.*

A. *Senſualitas intellectum non confundit.*

Querelae enim ratio in eo ponitur, quod ſenſus nimiam materiae copiam, hancque adeo variam atque irritantem tradat, vt intellectus repraeſentationes diſtinctas haud queat efformare, indeque repraeſentationum confuſio neceſſario enaſcatur. Aſt is confundit, qui in vario coniungendo ordinandoque peccat; atqui negotium, materiam datam coniungendi atque ad ordinem redigendi, intellectus eſt, non ſenſus, ergo.

§. 29.

Continuatio.

B. *Senſualitas, vt dominetur, non ſtudet.*

Senſus, intellectui vt dominentur, niti reuera dici poſſent, quatenus iudiciis, quae efformarent, maior, quam ipſis intellectus iudiciis, auctoritas vt tribueretur, imperarent. Aſt ſenſus, charactere ſpontaneitatis deficientes,

prorſus non iudicant; itaque querela ſecunda generatim fundamento caret.

Triplici vero praeſertim modo ſenſus vere iudicare opinamur: *primo ſenſu communi* (bon ſens), quo conſenſus hominum talis intelligitur, qualis eo ipſo, quod omnium communis ſit, vetet, ne intellectus eius effata retractatum eat. Aſt conceſſo etiam ſenſu communi, ipſo tamen nudorum intellectus iudiciorum complexu conſtituitur, quae, quia ſint cuilibet obuia, pro infallibilibus habentur, ideoque tanquam a ſenſu lata ſpectantur.

Secundo. Si fidem praebeamus adſerto diuulgato: *prima* iudicia de eo, quid agere oporteat, quomodo rem quandam vere diiudicemus, veriſſima eſſe, dein vero vlteriori intellectus examine & laborioſa reflexione corrumpi: tunc vel *genium* quemdam, quem Socrates de ſe ipſo profitebatur, vel *ſenſum moralem originarium* admittimus; vterque oraculi adinſtar caecam obedientiam praeciperet, ſuperioritatem conſequenter ſibi arrogaret. Verum & eiusmodi, quae a ſenſu lata videntur, mera ſunt intellectus iudicia, ex reflexionibus, quarum diſtinctam conſcientiam modo non habemus, progenita.

Tertio. Quodſi denique id, quod mere interno ſenſu datur, obiectiuum habeamus, ideoque putemus, ſenſus interni iudiciis de obiectis, quae vel non ſunt, vel intellectui ſaltim inacceſſibilia, edoceri nos poſſe; *fanaticismo* (Schwärmerey) implicamur ſimili modo, quo ille *veſania* (Sinnenverrückung) rapitur, qui e. g. videre,

audire, &c. eius generis res exiſtimat, quae aut non exiſtunt, aut ſenſibus illis non ſunt ſubiectae.

§. 30.

C. *Senſualitas non decipit.*

Falſis tantummodo iudiciis fallimur. Ergo is fallit, qui iudicat; ergo ſenſus, non iudicantes, etiam non decipiunt; licet in *apparentia* (Sinnenſchein) nonnunquam ratio falſi iudicii occaſionalis reponatur.

Apparentiae autem ſiue *praeſtigiarum* (Blendwerke) tres praeſertim ſpecies notentur: *prima* dicitur *illuſio* (Sinnentaüſchung), apparentia, quae remanet, etſi de contrario conuicti ſimus. Sic illuſioni ars pictoria innititur. *Secunda* praeſtigiarum ſpecies eſt apparentia, quae ſtatim, ac detecta a nobis fuerit, euaneſcit. Huc pertinent omnis generis artificioſae praeſtigiae (Taſchenſpielerkünſte). *Tertia* ſpecies *faſcinatio* (Augenverblendniſs, Bezauberung) audit, dum nimirum rei cuiusdam realitatem, quam intellectus iudicio vt impoſſibilem perſpicimus, ſenſuum teſtimonio confiteri cogimur. Status inde animi ingratiſſimus enaſcitur. Ad incantatores pertinent *ventriloqui*, vti MESMER &c. Veneficarum ſiue ſagarum hiſtoria ſcandalis repleta recenti fere memoria coaeuorum adhuc ſeruatur.

Capitis I.
DE FACVLTATE COGNOSCENDI INFERIORI.

Articvlvs I.
DE FACVLTATE IMAGINANDI.

§. 31.
Facultas imaginandi quid & quotuplex?

Quum varium obiecto correſpondens nonniſi ſucceſſiue adprehendere poſſimus, vt illius repraeſentationem habeamus; neceſſe eſt, detur facultas, quae ſingulas varii adprehenſas partes iterum reproducat, vt, ipſae ceu prius habitae ab animo agnitae, in vnam quaſi repraeſentationem coaleſcant. Facultas iſta *reproductiua* compellatur, cui *productiua* opponitur, quo nomine generatim facultas inſignitur, quae quid nondum exiſtens progenerat. Eſt ea vel *originarie* vel *deriuatiue* productiua, prout vel materiam noui prorſus producti aliunde haud petit, aut materiam datam diuerſo modo tantum componit, formatue.

Ex dictis intelligere pronum eſt, quid ſit facultas imaginandi (§. 10.) *productiua* & *reproductiua*, *deriuatiue* & *originarie* productiua. Facultas imaginandi *deriuatiue* productiua, quae obiectum quoddam exhibet, cuius ſingulae partes iam antea in intuitu datae erant, iterum *duplex* eſt pro duplici modo, quo illo munere fungitur. Facultas nimirum imaginandi *vel* alias obiecti determinationes cohibendo, ipſamque adeo eius repraeſentationem

obſcuram reddendo, alias determinationes eiusdem obiecti magis diſtincte & dilucide repraeſentat; *vel* illa materiam a ſenſibus traditam recenti modo componens, nouum obiectum intuitiue repraeſentat. Primo ſub reſpectu imaginandi facultas deriuatiue productiua *ſenſualis abſtrahendi facultas* (das ſinnliche Abſtractionsvermögen); ſecundo autem *facultas fingendi ſenſualis* (das ſinnliche Dichtungsvermögen) * ſalutatur. Imaginatio, quatenus puras in ſpatio figuras a priori exhibet, *originarie* productiua nuncupatur. Qua ea ſub dignitate a Metaphyſicis conſideranda, hoc loco omiſſa, impraeſentiarum nobis agendum eſt de facultate imaginandi deriuatiue productiua, quam ſimpliciter *productiuam* adpellamus.

§. 32.

Facultas imaginandi productiua.

Quamuis imaginatio productiua ſalutatur, hanc tamen ſenſuum *vicario* fungi munere nunquam poſſe, experientia ſufficiens teſtis eſt. Ita qui nondum vidit colorem rubrum aut caecus natus colorum repraeſentationem nunquam obtinebit. Hinc conceſſo etiam (non concedendo) Pſychologorum nonnullorum adſerto, imaginationem e colore flauo & azurneo colorem viridem propria vi componere,

* Ab hac facultate *Phantaſia* diſcernenda eſt, vtpote quae *inarbitrarie* fingit, dum illa arbitrio ſubeſt. Ita heroibus aliisque talentis inſignibus praeditis a phantaſia magna quoque corporis ſtatura tribuitur. Staturam igitur eorum exiguam cernentes, miramur.

cui lens tamen eſt, idem impoſſibile fore, niſi bini iſti colores, ex queis viridis coaleſcit, ſenſibus dati fuiſſent. Idem de reliquis ſenſibus dicendum. Fuere, qui nullas niſi ſenſationes albi & nigri oculo ſatis acuto obtinerent, nec difficile reperiuntur auditu muſicali deſtituti, licet organo auditus ſubtili gaudeant. Huius igitur imaginationis impotentiae ratione habita, iure charactere *paſſiuitatis* ea ſignatur. Ex eo, quod, vt vidimus, imaginatio a ſenſibus pendeat, vlterius conſequens eſt, vt:

1) imaginatio eo viuacior futura ſit eorum, qui regionem diuitem pulchramque habitant; &

2) quo acutior & viuacior ipſe ſenſus ſit. Ex hoc enim imaginatio ſuam diuitiarum copiam haurit.

§. 33.

Schemata.

Praeter imaginationes intuituum ſenſu obtentorum inſtar ad indiuiduum tantum referendas, facultatis imaginandi intuitus huius indolis dantur, vt in plura obiecta, illis nempe ſubſumenda ſimili prorſus modo quadrent, vti conceptus vniuerſales, hoc tamen diſcrimine, quod iſtae repraeſentationes a facultate imaginandi ſemper in *concreto* repraeſententur, quam ob rem vniuerſalitatem conceptus nunquam attingunt. Eiusmodi repraeſentationes facultatis imaginandi *Schemata* (allgemeine ſinnliche Vorſtellungen) * generatim, ſiue potius *vniuerſales imagines*

* Cl. Maass in libro „Verſuch über die Einbildungskraft" eas adpellat: „unvollendete Bilder."

vocantur; ſic dubio caret, nos habere ſchemata canis, equi &c.

Iſtas iam imagines a facultate abſtrahendi & fingendi ſenſuali ſequenti methodo formari *veriſimillimum* exiſtimo:

Dati intuitus varium, quod pluribus ſibi ſuccedentibus intuitibus rurſus conſtare, neutiquam repugnat, adprehenſum iam a facultate imaginandi, qua ad vnum totum connectatur, percurritur. Quodſi iam partes illius varii ita comparatae ſint, vt iis in efformando toto neglectis obiectum intuitione repraeſentatum haud idem permaneat; facultatis imaginandi libera actio notis illis coarctatur. Eadem vero illimitata relinquitur ratione notarum ſiue varii partium illarum, quarum neglectione obiectum haud immutatur. Hasce igitur notas omittendo, illas vero coniungendo facultas imaginandi *inarbitrarie* Schema producit.

Deficientibus hisce obiectorum imaginibus quodlibet obiectum, ceu indiuiduum, quod intuemur, tanquam recens omnino, prima ſcilicet vice repraeſentatum, conſiderari deberet, niſi id ipſum foret, cuius intuitionem iam antea habuerimus. Dein obiecta attentionem atque admirationem hominis adeo ſemper in ſe raperent, vt ei a mundo externo in internum reditus vix per vitam concederetur. Aeſtima inde, quanti Schemata momenti ſint?

§. 34.
Symbolá.

Facultas imaginandi, vt res intuitiue repraeſentet, praeſertim *ſymbolis* vtitur; atque haec quidem exhibitio *arbitraria*, i. e. iuxta conceptum quemdam ceu regulam peragitur. Eſt autem ſymbolum generaliter imago rei cuiusdam ſenſibus nonnunquam adeo haud ſubiectae. Res vero ſymbolice exhibenda & imago *eidem reflexionis regulae* (§. 5. not.) ſubſint, neceſſe eſt, licet praeter hanc nihil amplius commune ſit vtrique. Facultatis igitur imaginandi in ſymbolo producendo functio propria non ex eo cernitur, quod rei cuidam imaginem conciliet, verum potius efficiat, vt regula, ad quam imaginis reproductae varium reflexioni ſubiicimus, eadem ad rem ab imagine prorſus differentem transferatur. Hoc igitur modo non obſtante maxima illa obiecti & imaginis diuerſitate facultas imaginandi *ſimilitudinem* quamdam producit; inde obiectum, de quo ſermo eſt, intuitiue repraeſentatur, atque adeo maioris claritatis ac vigoris gradus vi animum hominis mentemque commouet.

§. 35.
Facultatis fingendi ſenſualis variae ſpecies.

Facultas fingendi ſenſualis diuerſos recipit ſignificatus pro diuerſitate eiusdem actiuitatis ſpecifica. Ea ſcil. facultas, *quae* obiectorum figuras ſecundum relationes ſpatii exhibet, & imaginatio *plaſtica* (das bildende Dichtungsvermögen) audit; vel intuitus ſecundum temporis

relationes connectit, quamobrem *imaginatio adſocians* (das beygeſellende Dichtungsvermögen) ſalutatur; *vel* denique tertio imaginatio, repraeſentationes iuxta earundem affinitatem ſibi inuicem iungens, omnino nouas producit. Si repraeſentationum compoſitio ſecundum ſpatii temporisque relationes facta *mathematica* nuncupetur, haec, quae iuxta affinitatem abſoluitur, *progenerans* (die erzeugende) dici poterit.

§. 36.

A. *Imaginatio plaſtica.*

Imaginationi plaſticae binae artium liberalium ſpecies ortum debent; inprimis *Plaſtica*, ad quam *ars ſtatuaria*, & *Architectura* pertinet, & ſecundo *ars pingendi ſiue pictoria*, (ars pictoria propria & ars hortenſis pulchra). Plaſtica ſenſuum veritati, ars pictoria apparentiae innititur. Cum artifex plaſticus, tum pictor figuras in ſpatio exhibet. Ambo autem tum demum pulchri alicuius producti artifices eſſe poterunt, ſi quando ope facultatis fingendi ſenſualis imaginem producti effecerint, quae *Archetypon* (das Urbild) ſalutatur, quo primum figura in ſpatio actu exhibenda *Ectypon* (das Nachbild) dicta poſſibilis redditur. Imago absque regula conceptuue, i. e. *inarbitrarie* (ſicuti in inſomniis) ab imaginatione plaſtica efformata, imago ſiue fictio *phantaſtica* aut *phantaſia* compellatur; eadem vero *phantasma* audit, ſi iuxta fictionem nulla figura in ſpatio actu exhiberi poteſt. Phantasmatum dominium veram animi aegritudinem arguit.

§. 37.

B. *Imaginatio adſocians.*

Repraeſentationes dari adſociatas, i. e. ita inuicem iunctas, vt recurrente vna & altera recurrat, experientia docet. Eiusmodi nexus repraeſentationum ***idearum adſociatio*** (die Ideenvergeſellſchaftung) adpellatur.

Vt hanc de idearum adſociatione cum a Pſychologis tum Phyſiologis maxime agitatam theſin rite ac diſtincte pertractemus; binas ſequentes quaeſtiones imprimis ſoluendas eſſe exiſtimo: 1) quaenam eſt lex idearum adſociationis *ſumma*? 2) iuxta quam legem imaginationes refuſcitantur?

I. *Solutio quaeſtionis primae: quaenam ſumma idearum adſociationis* * *lex ſit?*

Varium a ſenſualitate datum imaginandi facultas percurrit, idque ad imaginem quandam reducit. Qua in functione originaria imaginatio ſubiectiuae legi, ſenſus interni forma determinatae, ſubeſt, quod ſcilicet varii intuitus dati partes nonniſi *ſucceſſiue* apprehendere ſiue percipere poſſit pro modo, quo mutationes ſenſus interni adfecti contingunt. Eadem lex paucis ita exprimitur:

Perceptioni vnius dati intuitus varii partis immediate ſuccedit perceptio illius, quae cum priore immediate iuncta a ſenſualitate recipitur.

---

* Huius denominationis primus auctor eſt Cl. Lockius

§. 38.

Continuatio.

Quemadmodum facultas imaginandi intuitus dati varium originarie ad imaginem redigit, fimiliter illa etiam, ceu facultas intuituum obiectorum abfentium, imaginationes ab animo (quodemumcunque modo) referuatas comprehendat neceffe eft; hae enim materiam, quam imaginatio adfocians percipit, jam conftituunt. Sequitur, pro imaginationum fucceffione hanc fummam valere legem:

Cuilibet imaginationi proxime illa fuccedit, cuius materia cum materia praecedentis immediate iuncta a fenfibus recepta fuit.

Quia vero 1) non neceffarium eft, vt repraefentatio, cui imaginatio aliqua fuccedit, ipfa fit imaginatio; &

2) quoniam fingulae intuitus obiecti praefentis partes aut imaginationis immediate connexae funt, quatenus vnum conftituunt totum: confequitur, vt lex modo pofita tanquam idearum adfociationis fumma ita exprimi poffit:

Omne varium, quod vel fenfatione vel imaginatione obtineatur, fibi fub imaginationum forma immediate fuccedere, fiue adfociatum effe poterit, quatenus id a facultate imaginandi immediate ad vnum totum compofitum fuerit.

§. 39.
Continuatio.
Tres adſociationis idearum leges ſubordinatae.

1. *Lex ſimilitudinis.*

Repraeſentationes ſimiles ſibi inuicem adſociantur. Similes dicuntur, quatenus vnam vel plures notas communes habent; conſequenter eiusmodi repraeſentationes facile ſibi ſuccedunt, quum earum reliquae notae cum communi a facultate imaginandi *immediate* connexae ſint.

Verum non repraeſentationes tantum aliis adſociantur, ſed etiam inclinationes paſſionesque cum repraeſentationibus ita iunguntur, vt ſimili repraeſentatione quadam recurrente, inclinatio etiam paſſioue recurrat. Ita nonnunquam odio quem perſequimur, aut perſonae cuiusdam amore ſubitaneo flagramus ea ex ratione, quoniam ſimilis haec alteri ſit, quam quondam amauimus vel odimus. Ineſt fortaſſis cuilibet homini a facultate imaginandi confecta obiecti imago, quod eius propenſionibus maxime correſpondet. Vnde euenit vt obiectum quoddam nobis eo carius futurum ſit, quo propius ad ideale accedat. Inde explicatum haurit C. Rochefaucault effatum „der Menſch liebt nur einmal.“

§. 40.
Continuatio.

2. *Lex oppoſitionis.*

Lex haec ſic definienda eſt: duae repraeſentationes oppoſitae adſociatae eſſe poſſunt, *quatenus* haud ade

e diametro ſibi opponuntur, vt nihil omnino *identici* habeant. Quo enim in caſu omnis ſubiectiua ratio deficit, quare ab imaginatione iuxta ſupremam idearum adſociationis legem repraeſentationes adſocientur. Sic e. g. repraeſentationi nigri non ſuccedit repraeſentatio albi, aut viciſſim; idem valet de repraeſentationibus lucis & tenebrarum. Verum repraeſentationi miſeriarum hominis cuiusdam facile adſociatur repraeſentatio fortunae eiusdem ſecundae; repraeſentationi deuaſtatae regionis repraeſentatio integrae &c. Nam in miſeriarum repraeſentatione repraeſentatio fortunae, & repraeſentatio integritatis in repraeſentatione deuaſtationis iam continetur.

Inde conſequens eſt, vt lex oppoſitionis *lex priuationis* (das Geſetz der Beraubung) potius nuncupanda ſit, id quidem duplici ex ratione:

a) vt indicetur, repraeſentationes e diametro oppoſitas illa ſub lege haud ſubſumi debere, propterea quod eiusmodi repraeſentationes connecti nequeant;

b) vt manifeſtum exin fiat, repraeſentationem *non priuati* repraeſentationi priuati facile ſuccedere, aſt non viciſſim; cui repugnat lex oppoſitionis qua talis.

Inde patet ratio, quare ſenſione perquam ingrata torqueamur, ſi domum quamdam ab externo admodum ſplendidam ingreſſi, eam vel ſordidam vel ad morem campeſtrem cuncta diſpoſita cernamus. Imaginatio enim binas illas repraeſentationes contrarie oppoſitas nec inuicem

adſociat, nec ab vna (repraeſentione priuati) ad alteram (repraeſentationem priuantis) tranſit.

§. 41.

Continuatio.

3. *Lex Contiguitatis* (das Geſetz der unmittelbaren Folge auf einander in Zeit und Raum).*

Et haec lex ex ſumma illa facili modo deducenda talem admittit ſenſum: repraeſentationes obiectorum, quae in ſpatio iuxta ſe poſita (contigua) ſunt, & in tempore ceu ſibi inuicem ſuccedentia percepta fuere, non inter ſe ſolum adſociationis vinculum ineunt, ſed & repraeſentationibus loci, quo coexiſtebant, & temporis adſociantur.

Relationes loci vix vnquam cum relationibus temporis non coniunguntur. Inde, rerum eodem in loco exiſtentium repraeſentationes repetituri, quo ſingulae modo ſibi ſucceſſerint, inueſtigamus.

Schol. 1. Alii Pſychologi hiſce legibus addunt legem *dependentiae* (das Geſetz von Grund und Folge), eamque vel legi ſimilitudinis vel contiguitatis praefatae ſubnectunt. Legem vero dependentiae ab hac ſpecialiter non differre, quum in aprico ſit, hinc notetur hoc ſolum velim, a repraeſentatione cauſae ad repraeſentationem

* Maass lib. cit.

effectus facilius nos transgredi, quam vice verſa. Nam haec in illa iam implicite continetur, aſt non viciſſim.

SCHOL. 2. Sunt quoque, qui leges idearum adſociationis generis & ſpeciei, ſigni & rei ſignatae, & conſuetudinis ſtatuant. * Aſt hae leges e ſumma idearum adſociationis lege *immediate* fluunt.

SCHOL. 3. Diuerſiſſimas, ad quas idearum adſociationem explicarent, hypotheſes ** excogitauere. Sunt, qui *a fluido nerueo* in canalibus moto, imaginationem deriuent. At quod canaliculis incluſum eſt fluidum, ſemper *vnam* legit viam. Animum alii dicunt, retinere ex vſu diſpoſitionem reproducendi ſui modificationem, praegreſſae ſenſationi ſimilem. Sed quae eſt diſpoſitio? Alii contendunt, a facta ſenſatione incipi motum in organo animi, quod cerebrum habent, perpetuo perdurantem, qui quidem imminui, ſed nunquam penitus extingui poſſit, quique ſub imaginatione denuo incitetur. Sed quod cerebrum tot milliardes motuum perennantium teneat? Alii cuiuis repraeſentationi *ſpecialem* in cerebro tribuunt fibram. Aliis, praecipue illis, qui fluidum nerueum, vel vt aiunt, *ſpiritus vitales* ſiue *animales* cum Cl. MALLEBRANCHE admittunt, veſtigia rerum a praefatis ſpiritibus cerebro impreſſa ad explicandam imaginationem

---

* Leon. Meiſter über die Einbildungskraft. 2te verb. Auflage.

** Geſchichte der Lehre von der Aſſociation der Ideen, von Hiſsmann.

& reminiſcentiam placent. Excitato enim vno tantum veſtigio praeſente eodem, e. g. obiecto, reliqua quoque, vt dicunt, excitantur veſtigia eodem tempore cum priore impreſſa, eo, quod animales ſpiritus viam quaſi planam & apertam ibi reperiant, quam iam antea percurrebant. Aſt in cerebro eruditi hominis vix ſpatium foret, quod tot rerum & verborum veſtigia absque confuſione caperet. Ipſe HALLERVS computauit, ſingula cerebri grana debere ad hanc hypotheſin 205452 veſtigia rerum continere.

Illi denique, qui omnes impreſſiones propagari contendunt neruorum oſcillationibus (motus chordae tremuli adinſtar), inde idearum quoque adſociationem cum Cl. HARTLEY explicant, qui ad geneſin neruorum oſcillationem ipſam explicandam ad alteram confugit hypotheſin, neruos ſcilicet aethere quodam circumdari, qui ſimiliter, ac aer atmoſphaericus cum aliis corporibus motum ſuum tremulum communicet, & ipſe cum neruis oſcillationes communicare valeat. *

Aſt nihil omnino corpori humano ineſſe, quod propoſitae hypotheſi fundamento ſit, Phyſiologorum maximus, HALLERVS ** probauit.

Ex recenſitis hactenus circa idearum adſociationem explicandam inuentis hypotheſibus, quae omnes in eo

---

* HISSMANN lib. cit. pag. 56—62.

** HALLERI Phyſiologia. T. IV. p. 361.

consentiunt, quod illam ad leges *mechanicas* (vnde Psychologia etiam, eiusmodi legibus innixa, *mechanica* nuncupatur,) explicare nitantur, perspicere pronum est, quam fallacia quamque ingrata cuncta conamina sint, phoenomenorum animi in facultate haud mere passiua fundatorum caussam ex corporis quibuscunque modificationibus deriuandi; id quod sane nihil aliud est, quam siquis ipsam facultatem e rationibus physicis siue mechanicis explicare praesumat. *

§. 42.

II. *Solutio secundae quaestionis: ad quamnam legem imaginationes reproducuntur?*

Repraesentationes, quarum vna alteram reproducere potest, dicuntur *adsociabiles* (gesellige Vorstellungen), & repraesentatio alteri ita adsociata, vt cum hac ad conscientiam redeat, *reproducta* (erweckte Vorstellung) adpellatur.

Sequitur, repraesentationem facilius adsociatum iri, eoque frequentius recurrere debere,

1) quo saepius ista repraesentatio cum vario differenti ceu pars a facultate imaginandi coniuncta fuerit, (vid. legem idear. adsc. summam);

2) quo maior est ipsa copia varii, quocum repraesentatio vnum constituit totum.

* Conf. KANTII lib. cit. pag. 82.

Quodſi hisce regulis non ſemper parere videtur adſociabilitas repraeſentationum, quemadmodum experientia nonnunquam teſtatur, *mediata* adſociatio in cauſa habetur, quin repraeſentationis *mediantis* conſcii nobis ſimus.*

§. 43.
Continuatio.
Memoria, reminiſcentia, recordatio.

Priusquam ipſam reproductionis repraeſentationum legem ſtatuamus, facultates animi, queis reproductio generatim poſſibilis redditur, noſcere conſultum videtur.

a. *Memoria* eſt facultas repraeſentationes (ſint vel intuitus vel conceptus) recipiendi easque reſeruandi.

b. Repraeſentationes ita retentas *generatim* reproducit facultas imaginandi reproductiua. Quae ſi reproductio *arbitrarie* peragatur, facultas reproductiua *ſpecialiter recordatio* (das ſinnliche Beſinnungsvermögen) audit; cui

c. *recognitio* repraeſentationum, i. e. iudicium accedit ſenſuale de identitate repraeſentationis reproductae cum olim habita, atque hanc quidem repraeſentationum identitatem cognoſcendi facultatem *reminiſcentiam* (das Wiedererinnerungsvermögen) ſalutamus.

Praefatas facultates inter & ipſam facultatem imaginandi intercedere nexum arctiſſimum, inde me etiam non monente, liquet.

---

* Conf. KANT. Anthr. pragm. pag. 82.

§. 44.

Continuatio.

Reflexio, qua methodo lex reproductionis idearum suprema inuenienda sit.

Suprema repraesentationum adsociationis lex supremam quidem conditionem, qua successio repraesentationum possibilis sit, adsignat, neutiquam vero docet, quae praecise repraesentatio alteri praesenti succedere *debeat.* Quamquam consequenter legibus idearum adsociationis earundem resuscitationis leges, vt ne contradicant, oporteat; hasce tamen illis simul haud constitui, perspicere est.

Repraesentationem *mere obscuram*, siue cum conscientia non iunctam, impossibilem esse, supra docuimus. Vt vero rei cuiusdam conscientiam nanciscamur, variae extant *conditiones, sine quibus non.* Eiusmodi *primaria* conditio est, vt actiuitas facultatis imaginandi sat valide excitetur; quippe quae ad cuiuslibet repraesentationis sensualis genesin necessario requiritur (§. 31.). Sequitur, quae ad actiuitatem facultatis imaginandi irritandam requirantur momenta, eadem quoque totidem conscientiae conditiones sistere. En viam, qua repraesentationum reproductionis lex suprema inueniri queat, detectam, quam §. seq. persequamur.

§. 45.

Cont. Quaesita lex suprema.

1) Actiuitas facultatis imaginandi, quae datum varium simili, quo *successiue* adprehenditur, modo in

tempore percurrere debet, perceptione varii iufto velociori minus excitabitur, aut difturbabitur.

2) Imaginatio eo maiori actiuitatis & vigoris gradu vix non femper pollet, quo maior varii dati copia percipitur.

3) Quo fortior magisque determinata ipfa varii perceptio eft, eo facilius ab imaginatione id percurritur.

Quum tribus hisce momentis repraefentationis quantitas (protenfiua, extenfiua & intenfiua) determinetur, confequens eft, vt ab ea ipfa pendeat, num prae caeteris repraefentationibus eius confcientiam nancifcamur, nec ne. Lex ergo fuprema pro imaginationum refufcitatione ita exprimitur:

Inter plures repraefentationes adfociabiles immediate maxima femper reproducitur.

Qua fumma iam lege cognita, reproductionis leges, conditiones rationesue imaginationis quantitatis expendendo, facile reperientur.

§. 46.
Continuatio.
Quantitatis imaginationum rationes.

Internam imaginationum quantitatem conftituunt *immediatae* rationes in imaginationibus ipfis fitae; *externa* vero determinatur rationibus immediatis, quae *vel* in facultate imaginandi huiusque relatione ad imaginationes, *vel* in alia quaedemumcunque facultate fundantur.

α. Quantitas imaginationis interna.

Ea 1) *ratione extensionis* eo maior est, quo plures notas continet; consequenter haec obtinetur regula:

Inter plures repraesentationes illa proxime inarbitrarie reproducitur, quae omnium plurimis notis gaudet.

Inde manifestum fit, quare repraesentationes rerumque imagines ope organi visus perceptibilium faciliori modo reproducantur aliis; — quare sensiones aut sensationes internae, quibus nulla extensiua quantitas est, difficile ad conscientiam reuocentur — verum naturae beneficium. —

2) Ratione *intensiuae quantitatis*, quae repraesentationis *originariae* vigore efficitur, regula patet.

Rerum vulgarium facile obliuiscimur; earum enim imagines admodum debiles sunt. Verum obiectorum raritate & valore distinctorum imaginationes saepissime recurrunt. Poenarum hinc species interdum mutentur necesse est; poenae enim *consuetae* obliuiscimur, eiusque imago nullo vigore gaudens deterrendis maleficis inepta est.

3) *Protensiua* quantitas imaginationis e longiori tempore, quo nobis praesens est, cernitur. Verum ea pendet ab externis conditionibus, si e. g. cum sensione taedii aut voluptatis iuncta sit. Est dein in ratione directa cum protensiua quantitate repraesentationis sensatione obtentae. Illa quidem eo maior erit, quo longiori tempore vis repraesentandi & speciatim facultas imaginandi circa repraesentationis materiam occupata fuerit.

§. 46.
Continuatio.

β *Externa imaginationis adſociabilis quantitas.*

Nobis iam hic ſpectandus imprimis eſt influxus facultatis imaginandi & dein ſenſus in externam imaginationis quantitatem.

a. 1. Imaginatio repraeſentationes vel facili prorſus modo reproducit, vel admodum difficili. Primo in caſu imaginationes intenſiua praeſertim quantitate, i. e. vigore ac robore nonnunquam carebunt, nec longo tempore animo praeſentes erunt. Eius generis facile reproducendae repraeſentationes ſunt omnes conſuetae, quae recurrunt, quin eas attentione & ſingulari reflexione vlterius perſequamur.

In ſecundo autem caſu ob imminutam facultatis imaginandi actiuitatem quantitas intenſiua & extenſiua imaginationum ſimili modo imminuatur, neceſſe eſt. Exin ratio patet, quare imaginationes crebrius reproductae facilius reproducantur, licet minus adſociabiles ſint. Hic vero notandum eſt, nimia repetitione eiusdem repraeſentationis haud raro contingere, vt reproductu difficilior reddatur.* Nam cerebra repetitione imaginatio

---

* Exemplum narrat VAN GOENS (Magazin für Erfahrungsſeelenkunde von Moritz. 7. B. 3. St. pag. 77.) hominis cuiusdam, qui laborum per diem peractorum copiam ſignaturus, narrabat, nomen ſuum toties ſe debuiſſe ſubſcribere, vt eius adeo obliuiſceretur.

& claritate & viuacitate deſtituitur. Pariter quoniam repraeſentationis nouitate facultatis imaginandi actiuitas, conſequenter repraeſentationis ipſius roboris gradus & claritas augetur, repraeſentatio noua, *ſi ipſa adſociabilis ſit*, facile reproducitur. Hinc, qui alios erudiunt, nouum adnectant veteri, cognito incognitum.

2) *Mediate*, nimirum cum *praecedentium* tum *concomitantium* repraeſentationum ope facultas imaginandi ad quantitatem imaginationis externam confert.

α. Quodſi repraeſentationes imaginationem praecedant ita comparatae, vt huic cum illis plures notae ſint communes: imaginatio non facile tantum, ſed etiam clarior recurrit propter adauctam facultatis imaginandi actiuitatem. Valet igitur regula: *praecedentem imaginationem ſemper ſimilior ſequitur*. Inde ratio perſpicitur, quamobrem repraeſentatio cauſae repraeſentationem effectus excitet; & quare repraeſentationes obiectorum in ſpatio eodem tempore perceptorum aliis facilius reproducantur. Ad ſimilitudinem enim, vtroque in caſu obuenientem, accedit *ratione primi* habitus, repraeſentationes iuxta relationem cauſae & effectus connectendi; & reſpectu ſecundi caſus praeter ſimultaneitatem loci temporisque adhuc ratio concurrit ex eo deſumta, quod res contiguae vt cauſae & effectus ſibi inuicem copulari ſoleant.*

* Explicatur inde, quare facilius Hiſtoriam methodo *ſynchroniſtica*, quam *chronologica* traditam memoria teneamus; quare facilius *Geographiam* ediſcamus, quam *Hiſtoriam*.

Nec *secundo* difficilius perspectu est, praecedente repraesentatione *iusto vigori gradu gaudente*, aut quacum ad legem priuationis imaginatio adsociari potest; huius Instaurationem maxime subleuari debere.

β. Quatenus *concomitantium* repraesentationum ope facultas imaginandi in imaginationum quantitatem influit, tres prius recensiti casus recurrunt.

§. 47.

Continuatio.

b. *Sensuum influxus in quantitatem imaginationum externam.*

Quum reproductionis leges legibus idearum adsociationis repugnare non possint (§. 44.); hinc de memorato sensus influxu, indeque imaginationum reproductione promota generalem hanc posuisse regulam sufficiat:

Sensationes immediate sensu obtentae, aut intuitus praesentes, imaginationum, quae secundum adsociationis leges cum illis adsociabiles dici debent, reproductionem adiuuant.

Schol. generale. Cl. Mallebranche praeter legem coexistentiae (l'identité du temps) & voluntatem creatoris, arbitrium hominis quoque ceu legem idearum adsociationis secundam stabilitum iuit. Quamquam cum Cl. Hissmanno * eam legem chimaericam esse censendam existimo; arbitrii tamen in idearum adsociationem & reproductionem influxum negandum non esse, ex sequentibus argumentis colligi poterit.

* Lib. cit. pag. 37.

Mediatus imprimis arbitrii influxus ex eo perſpicitur, quod attentio in hanc vel illam repraeſentationem, cui dein aliae adſociari queunt, arbitrarie dirigi poſſit. *Immediatus* autem isque *negatiuus* voluntatis influxus cernitur arbitraria abſtractione de certis repraeſentationibus, ne adſocientur aliis, vel claritatem nanciſcantur. Deficiente autem repraeſentationis claritate, ea difficili modo reproducitur. *Poſitiue* dein voluntas adſociationem & reproductionem repraeſentationum adiuuat, quatenus ipſius facultatis imaginandi actiuitatis gradus atque determinata eiusdem modificatio ab arbitrio pendet, quod igitur in cauſa eſt, quare hae potius, quam aliae repraeſentationes adſocientur, atque ad conſcientiam redeant. Arbitrii effectus nonnunquam integra imaginationum adſociatarum ſeries eſt, dum arbitrium obiecti cuiusdam conceptum ita determinat, vt aliae dein repraeſentationes ad conceptum pertinentes facile recurrant. *

Licet igitur arbitrio ratione idearum adſociationis & reproductionis *legislatio* denegari debeat, in vtramque tamen influxus ei concedendus eſt.

§. 48.

C. *Imaginatio progenerans.*

Haec ſenſualis fingendi facultatis ſpecies, quae ex coniunctione varii *affinis*, i. e. ex eodem fonte promanantis nouum prorſus productum progenerat, a ſpeciebus

* Exin ſequitur Imaginationis imputabilitas.

hactenus expenfis hoc differt, quod femper *arbitrarie* fingat. Ab intellectu enim conceptu principali determinato, facultas imaginandi eatenus iuxta affinitatis legem actiuam fe praebet, quatenus varii compofiti feries ad vnum idemque fundamentum (conceptum fundamentalem) quemadmodum ab hoc principium fumebat, ita quoque reduci valet. Conceptus ifte principalis regulae locum tenet, quae imaginationem in caeteris liberam coerceat, quominus mens fictionibus difturbetur.

Imaginatio progenerans fingulari negotio fungitur in *meditatione*, de qua fufius infra agetur.

Quid imaginatio progenerans in conuerfationibus valeat, apud KANTIVM * legere eft.

§. 49.

Quatuor a Pfychologis nominantur facultates, quae a facultate imaginandi pendent; nimirum *memoria*, *praeuifio* (das Vorherfehungsvermögen), *facultas diuinatrix* (Wahrfagergabe) & *facultas fignatrix* (Bezeichnungsvermögen). De fingulis hisce fequentibus agetur.

A. *Memoria.*

Praefenti de memoria articulo complectimur recordationem & reminifcentiam, quas fupra (§. 43.) definiuimus. Memoria iam a veteribus, e. g. CICERONE ** in

* Lib. cit. pag. 83.

** CICER. Acad. Quaeft. W. I.

memoriam *verbalem* & *realem* (Wort- und Sachgedächtniſs), cui addunt memoriam *localem*, diſpeſcebatur. Cuiuslibet ſingularia habentur exempla, rara vero, ſi vtramque in vnico homine coniunctam quaeras. MORITZ * exemplum memoriae vere ſtupendae e *Gentel. Magaz. Febr.* 1751 citat. Inter plura ibi in medium de *Jedediah* BUXTON prolata vnicum hic narraſſe ſufficiat: BUXTON numerum 39 ciffris conſtantem 72595823 809607400786853165699363885 1106 intra ſpatium duorum menſium & dimidii ſola memoria ſuffultus (nam vbi praecedente die multiplicationem reliquerat, ibi die ſequenti eam media inter negotia continuabat,) eleuabat ad quadratum, quod 78 ciffris his conſtabat:

5270153634595573856 73733
542638591721213298966079
307524904381389499251
637423236. **

Memoriae functionem organiſatione, ſiue potius cerebro, quod animi organon adpellare plurimis placet, ſubleuari, multa ſuadet experientia. Laeſo enim cerebro, amiſſa fuit memoria, quae illo ſaluato reſtaurabatur. *** Explicant inde phoenomenon, iuuenes memoria potiori, quam ſenes, frui; pariter, ſenes reminiſci poſſe

* Magaz. V. 2. pag. 105.

** Aliud exempl. narrat MAUCHARD Repertorium für empir. Pſychol. 2 B. pag. 13. 14.

*** MORITZ Mag. VII. 3. pag. 16. & ſeqq.

factorum aetate iuuenili, obliuisci vero, quae heri contigerint.

§. 50.

Cont. Memoriae dotes.

Quo *amplior* memoria, quo *facilior*, *fortior* & *fidelior*, eo insignior. *Ampla* dicitur memoria, magnam repraesentationum copiam retinens; *facilis* ea, quae absque frequentiori repetitione temporeque breui repraesentationes excipit; si quas illa longiori tempore referuat, *fortis* adpellatur; *fidelis* denique audit, si reproductas repraesentationes prorsus identicas cum olim habitis sistit.

Dotes istae in vno subiecto vix omnes reperientur. Memoria enim fidelis raro etiam facilis, sed fortis est; ampla autem rarissime fidelis. Memoriam claritate repraesentationum & vigore; praesertim conditione nexus, quo inuicem adsociatae sint, admodum suo in munere suffulciri, euidens est. Nec vllum fugit, hanc facultatem egregie excoli posse. Artem vero, de qua veteres locuti sunt, *mnemonicam* (Gedächtnisskunst), quam a SIMONIDE, qui conuiuas domo ingrati victoris collapsa occisos, eo, quo adcubuere mensae, ordine, solus memoria tenuerat,* vt aiunt, inuentam METRODORVS Skepsensis ad summum perfectionis gradum tulisse dicitur, reuera hoc dari sensu, quod medicamentorum vsu (qualia veteres quondam adhibuisse fama est)

* CICERO de Orat. II. 86.

memoria fortior reddi poſſit, negare, ne vno quidem momento dubitamus. Eiusmodi enim ars de idearum adſociatione & reproductione ſupra dictis directe repugnat. Verum regulae, labilem memoriam adiuuandi, a Pſychologo tradendae, omnes ad ſequentes quatuor poſſunt reduci:

1) Repraeſentationes reddantur clarae & diſtinctae;

2) Frequentius repetantur;

3) *Pluribus* aliis ſenſim adſocientur;

4) Repraeſentationes memoriae mandandae ad diuiſionis regulas diſponantur. *

Quarum regularum ratio legibus idearum adſociationis & reproductionis, vti patet, innititur. Illae tamen circa repraeſentationes grauioris momenti tantum adhibendae erunt. **

Obliuioſitatis, de qua KANTIVS dicit: „Die Vergeſſenheit, wo der Kopf, ſo oft er auch gefüllt wird,

---

* De *ingenioſa*, memoriae repraeſentationes mandandi, methodo a KANTIO (pag. 94. Crit. cit.) contra tot oratorum praecepta prolata, quae legantur, digniſſima ſunt. Adſertum recentiorum quorundam, inſignem ſcil. memoriam intellectus culturae impedimentum eſſe, *generatim* falſum demonſtrat exemplum LEIBNITJI & HVGONIS GROTII, qui quum luſtrationi aliquarum legionum interfuiſſet, omnia fere militum nomina memoria tenuiſſe fertur.

** HISSMANN lib. cit. pag. 23.

„doch wie ein durchlöchertes Faſs immer leer bleibt, „iſt ein deſto gröſseres Uebel u. ſ. w.“ cauſam idem Autor librorum lectionem arguit, qui ſolam phantaſiam occupantes, intellectum deprimunt, mentis abſentiam relate ad id, quod praeſens eſt, habitualem reddunt.

§. 51.

B. *Praeuiſio.*

Quemadmodum memoria poſſibilis ſcientiae praeteriti rationem continet, ita praeuiſio facultas eſt, cui poſſibilitas cognoſcendi *futurum* innititur. Quum id, quod futurum eſt, nullo ſenſu queat percipi, hinc omnis praeuiſio vel

1) poſſibilis tantummodo erit ope intellectus rationisque mediante imaginandi facultate. Haec nimirum ante oculos integras praeteriti ſeries, quemadmodum ab ipſa adſociatae fuere, ponens, intellectum excitat, qui comparatione praeſentium cum iſtis praeteritis atque deſuper inſtituta reflexione, exin ad legem cauſae & effectus iudicans futurum colligat. Qua praeuiſionis ſpecie homo a brutis diſcernitur, quibuscum in ea

2) praeuiſionis ſpecie conuenit, quae in *exſpectatione caſuum ſimilium* conſiſtit, absque omni comparatione & concluſione a cauſa cognita ad effectum. Quodſi nimirum aliam rem alii ſaepius ſuccedere animaduerterimus, & crebriori experientia circa illa, quae hoc vel illo phoenomeno praecedente contigerint, ſimiles caſus

exſpectantes, futura nos praeuidere dicimus. Exin ſic dictae ruſticorum regulae ſuam deriuant geneſin. —

3) Praeuiſionis tertia ſpecies *ſenſioni* innixa atque ſortem hominis concernens *praeſenſio* (Ahndung) nuncupatur. Quoniam omnis ſenſionis non eſt relatio, niſi ad *praeſentem* animi ſtatum, hinc, qui praeſenſionum realitatem defendunt, ſenſum *ſpecialem* admittant, neceſſe eſt. Aſt huius occulti ſenſus nec Pſychologo nec Phyſiologo vlla cognitio conceſſa, iure igitur omni praeſenſio a Pſychologo *Chimaera* * habetur. Experientia enim, ad quam aduerſarii noſtrae ſententiae prouocant, id ſolum teſtari valet, nonnullos homines, neſcio, fortunatos, num infortunatos iſto ſenſu occulto praeditos fuiſſe. Verum ne de hoc quidem experientia doceri poſſumus; ea enim, quod quid *neceſſario* ita ſit, non teſtatur; conſequenter quaelibet opinatae praeſenſionis cuiusdam defenſio oppoſitione mere contingentis eludi poterit. Praeſenſio ſaepiſſime etiam vera exſpectatio rationibus obſcuris innixa dici debet. Ac plures nonnunquam circumſtantiae, queis praeſenſionis realitatem praeſertim probare conati ſunt, aut *prius*, aut *poſtea finguntur*, quam id, quod actu contigit, nobis innoteſcat. ** Maxima

* „Willkührliche, weder durch Erfahrung noch durch Vernunft, ſondern durch ein bloſes Spiel der Einbildungskraft erzeugte (alſo ſubjective) Vorſtellungen, ſofern ſie als objectiv gedacht werden." Encyclopädiſches Wörterbuch der kritiſchen Philoſophie von Mellin I B. II Abth. S. 755.

** Ueber die Vermiſchung gegenwärtiger und vergangener

denique praesensionum pars, aut valetudinem aut aegritudinem nostram spectans, ex *coenesthesi* (körperliches Gemeingefühl), alia autem ex acie organorum sensoriorum explicanda est. *

SCHOL. Singulum quodcunque phoenomenon praesensio ab aliis salutatum, qua premitur explicandi difficultas, nascitur saepius ex eo, quod *verae* illius, quod contingebat, circumstantiae *omnes* nos lateant. Cl. MORITZ plura hac de re memorabilia collegit. Ast non sunt, quae fidem in praesensionem mihi extorqueant.

§. 52.

C. *Facultas diuinatrix.*

Diuinatio generatim (das Errathen des Zukünftigen) *vel* est *praedictio* (Vorhersagen), quatenus ea iuxta leges experientiae fit (*naturae conueniens*), *vel* 2) *vaticinatio* (Wahrsagen), quae diuinatio fit contra leges experientiae cognitas (*naturae contrarians*); *vel* 3) denique *diuinatio propria* (Weissagung), quae leges experientiae transcendens (diuinatio *supernaturalis*) mediante numinis inspiratione futura praedicit. **

---

ener Vorstellungen von Rector Starke. Deutsch. Monatschrift. Jan. 1795.

* Magaz. 2 B. 2 St. pag. 16. & 3 i. St. pag. 118., vi cl. GOEKINGK ex acumine odoratus diuersas praesensiones explicat. Quo forsan pertinent, quae 76. 4 B. 1 St. habentur.

** KANTII Anthrop. pragm. pag. 101.

Ad Fatidicos praefertim pertinent Aufpices, Haruspices & Aftrologi. Quae veteres decreta abfoluta habuere, oracula conceptum libertatis Mechanifmi contradictorium inuoluunt, propterea quod, quae a liberis hominum actionibus pendent, fato neceffario fubiiciuntur.

Vifionarios (Seher), qui vi fupernaturali generatim regi creduntur, fuis intuitionibus eorum, quae cognofcendi limites tranfcendunt, gentes peffimae fraudi fubin implicuiffe, omnis fere aeui hiftoria docet. Ad vifionariorum claffem pertinent *Energumenus* (der Befeffene) & *Propheta*; illi daemonem malum, huic bonum, qui a Graecis *Mantis* adpellatus fuit, ineffe exiftimabant.

Vifiones triplicis generis funt: vifiones *fimplices*, *allegoricae*, *fymbolicae*.

a) *Simplex* vifio dicitur, qua futuri euentus naturales vt praefentes *immutati* repraefentantur; fiquis e. g. propheta mortem hominis aut vrbis deuaftationem praedicit.

b) *Allegorica* adpellatur vifio, fi euentus fub imagine quadam diuinetur. Eiusmodi vifio in fomnio e. g. habita iterum ceu a Genio quodam indita faepe explicatur.

c) *Symbolica* vifio eft, quae ad euentum aliquem diuinandum mere arbitrariis (non naturalibus) vel adeo eius generis fignis vtitur, quae nonnifi literas cum rei fignificatae vocabulo communes habent. *

* Ita baculorum vnus, a SACHARIA in infomnio vifus

§. 53.

D. *Facultas ſignatrix.*

Prout a facultate imaginandi repraeſentationes inuicem adſociantur, ita etiam ſigna cum rebus ita copulantur, vt ſigno recurrente & res ſignata recurrat. Omne autem id, cuius repraeſentatio cum repraeſentatione praeteriti ita coniungitur, vt hoc ex illo praeſente cognoſci queat, *ſignum* (Zeichen), eiusmodi coniunctionis efficiendae facultas *ſignatrix* (das Bezeichnungsvermögen), & actus, quo nexus iſte peragitur, *ſignatio* (die Bezeichnung) dicitur. Imaginationi ſigno quaelibet nota inſeruit, quae reminiſcentiam vel obiecti ſignati cognitionem poſſibilem reddit, id quod eo facilius erit, quo affinius ſignum obiecto ſignato eſt. Inde ſigna vel ſunt *naturalia*, vel *arbitraria*, vel *partim arbitraria* & *partim naturalia*, quibus KANTIVS *prodigia* (Wunderzeichen) addit.

§. 54.

Continuatio.

I. Signa naturalia.

1) Signorum *demonſtratiuorum* claſſis duplex extat; vel enim per ipſum hominem exhibentur, vel ab obiecto

---

& *Chowlin* dictus diuinationem indicabat, gentem Iſraeliticam Deo antea gratam, iam ipſi *ingratam* factam eſſe. Verum transpoſitione literarum, mutando nimirum *Chowlin* in *Bochlim ingrati* ſignificatio obtinetur. — Viſionarii nomine recenter clarus praeſertim fuit SCHWEDENBORG. — Conf. Träume eines Geiſterſehers, erläutert durch Träume der Metaphyſik.

inde ſignato. Huic claſſi omnia accenſeri debent, quae ceu effectus cauſae phyſicae ſuccedunt, quam proinde illi indicant; ita fumus ignis ſignum; *το* erubeſcere nonnunquam ſignum conſcientiae malefactorum eſt. Alteram claſſem ſigna concernentia ſunt *clamor* & *geſtus* (unarticulirte und Gebärdenſprache), qui primam, maxime naturalem & vniuerſaliſſimam linguam conſtituunt adeo, vt dici queat, *Phonognomicam* dari, quae ſimili, quo *Phyſiognomica* ex vultus lineamentis, modo animi ſtatum internum (Phonognomica quidem praeſentem, Phyſiognomica etiam abſentem) e voce tonoque cognoſcat.

Quemadmodum Muſica naturalium ſignorum fertilis mater eſt, ita & geſtibus character hominis & affectus & cogitationes exhiberi poſſunt; hinc Muſica atque Mimica haud in ſolo theatro, verum etiam in omni gente barbara repetitur. Sic *Madegaſſi* admirationem digito ori impoſito exprimunt. Cum lingua naturali per geſtus ſenſim arbitrarios absque condictione intelligendos geſtus pariter iungi, ac cum clamore arbitraria ſoni ſigna, vix adnotetur neceſſe eſt. Si itaque geſtus ſatis fixae forent ſignificationes, lingua per eos parum cederet illi per ſonos articulatos, prae qua iſta immo hac gaudet praerogatiua, quod cuncta determinate & vere exhibeat, quare & nos eum in finem vtimur geſtibus, vt, quae ſentimus & cogitamus, vere & cum affectu exprimamus. Dein vnico geſtu exhibentur, quae multis verbis indicari debent. Attamen euidens eſt, Mimicae & linguae inarticulatae ſignis intellectus vſum & culturam gradu exiguo promoueri, propterea quod eadem

ſingulos tantummodo animi ſtatus repraeſentent (conſequenter vſui conceptuum in abſtracto difficillime inſeruiant).

2) Signum *rememoratiuum* (Denkzeichen) ſalutatur, quo memoria alicuius praeteriti excitatur; ita tumuli & mauſolaea mortuorum memoriam reſuſcitant; rudera Perſepolis & Palmyrae artium eo tempore florentium ſigna ſunt.

3) Futura proſpicere, grauiſſima res ideo paſſim aeſtimatur, quoniam ob futura tantum conſequentia praeſentia adpetimus; hinc quodpiam ſignum, ex quo futurum colligi poſſe opinamur, laeta mente amplectimur. Inde enata eſt *Aſtrologia iudiciaria* (Sterndeuterey), quae e ſiderum figuris eorumque coniunctione ſituque ad inuicem relato ſortem coniicere hominum ſe poſſe mentitur. Medicorum ſigna *prognoſtica* ſuperſtitionis vitio nos idcirco non arguunt, quia ceu naturales effectus cauſas itidem naturales commonſtrant.

§. 55.
Continuatio.
II. Signa arbitraria.

Ad ſigna arbitraria pertinent

a) *Literae* (Schriftzeichen, Zeichen für Laute), vocales vel conſonantes, ex quarum compoſitione verba geneſin ducunt. Literae fortaſſis originarie ſunt imagines diminutae ſiue abbreuiatae (Migniaturbilder) ſicuti quaelibet litera *Chinenſium* integrum verbum exprimit; pariter in Chimia, Calendario, aliisque artibus res vnico ſigno

iam dudum ſignatae fuere. Verum exculto magis ac promoto intellectus vſu, adauctaque repraeſentationum copia, plura eaque breuiora ſigna inuenirentur, neceſſe fuit. Inuento ſemel *Sermone per literas* (Buchſtaben-ſprache), ſenſim dein pro ſingulo etiam ſono litera correſpondens inueniri potuit. Inde enata eſt ars ſcribendi quam Americani adeo admirati ſunt, vt chartas literis repletas animatas eſſe iudicarent, easque oraculi adinſtar de ſorte ſua conſulerent. Exin iam, quod *Sermo* per literas tam ſero inuentus fuerit, concludere licet, pluribus forſan ſaeculis homines verba ſibi inuicem communicaſſe, priusquam ſcribere didicerint. Sic *Franci* ſecundum Ottofridi teſtimonium ope patrii ſermonis, quae cogitarunt, chartis mandare nequiuerunt. Vtilitati, quam ſermoni per literas debemus, vere inſigni coronidem impoſitam artis typographicae inuentione fuiſſe, non eſt, vt moneam.

b) Signa arbitraria ſunt notae (ſigna tonorum); c) ciffrae; d) inſignia natiua & haereditaria (Wappen, Standeszeichen freyer, mit erblichem Vorrange beehrter Menſchen); e) ſigna ſeruientium (Dienſtzeichen, Uniform, Liverey); f) Inſignia honoris adquiſita (Ehrenzeichen des Dienſtes, Ordensbänder); g) Signa ignominiam denotantia (Schandzeichen, Brandmark u. d. gl.); h) Interpunctiones librorum.

§. 50.

Continuatio.

III. Signa partim naturalia, partim arbitraria.

Huc refero inprimis ſigna artis operibus repraeſentata,

qualia funt: 1) *Statuae*, queis obiectum *vel* magnitudine *naturali* (Figuren nach dem Leben), *vel colossali* (vti ftatuae Deorum), *vel* etiam imaginibus ad fcalam geometricam confectis exhibetur;

2) Signa *hieroglyphica* (Bilder in skeletmäfsigen Umriffen); ita Sacerdotes *Aegyptiaci* omnifcientiam Dei, aures & oculos in templi parietibus pingendo, — & Chaldaei varia anni tempora per Zodiacum exhibuere. Signa hieroglyphica quafi pictae funt repraefentationes & metaphorae, quae proin eo difficiliora intellectu funt, quo maior eft loci temporisque differentia. Signa ifta etiam *Symbola* adpellantur, quippe quae ceu arbitrariae figurae repraefentationis rerum ope conceptuum locum tenent. Hinc KANTIVS iure animaduertit: „Wer fich immer nur fymbolifch ausdrücken kann, hat noch wenig Begriffe des Verftandes, und das fo oft Bewunderte der lebhaften Vorftellung, welche die Wilden, (bisweilen auch die vermeynten Weifen in einem noch rohen Volk') in ihren Reden hören laffen, ift nichts als Armuth an Begriffen, und daher auch an Wörtern, fie auszudrücken.“ —

3) *Characteres* maxima parte figna arbitraria funt. Hisce, tanquam conceptuum cuftodibus, vtuntur Chinenfes, Chimici, Aftronomi, Mathematici. Verum fignis iftis omnes cogitationes conceptusque perfpicue exhibere, nullius intellectus acumini hucufque conceffum fuit.

Schol. Quo magis obiecto quodam afficimur, ſigna arbitraria cum naturalibus iunguntur; quo fit, vt plura ſimul organa ſenſoria obiecti impreſſiones recipiant. Ita in theatro, in feſtis religioſis & politicis ars oratoria plerumque muſica & arte pictoria ſuſfulcitur.

§. 57.

Continuatio.

D. *Prodigia.*

Quae olim prodigia a plebe habita ſunt, e. g. Cometae, ſtellae cadentes, globi ignei, ecclipſes ſolis ac lunae, adaucta Phyſicae cultura ceu phoenomena penitus naturalia noſtris temporibus paſſim ſpectantur.

§. 48.

Meditatio.

Reſtat adhuc, vt ex prolata facultatis imaginandi theoria quosdam animi ſtatus explicemus, inter quos potiſſimum is animaduertendus eſt, quem *Meditationem* ſalutamus, ſingularem animi intentionis ſtatum, in quo mens in vnum idemque obiectum figitur.

Meditatio inſtituitur, vt vel incognita, v. g. phoenomenorum cauſas, eruamus; vel qui veritatem vnam inter & alteram intercedit, nexum, ſiue veritatis rationes percipiamus, vel vt cognitiones ad ſyſtema quoddam redigamus.

Meditationis felix facilisque progreſſus pendet 1) a qualitate facultatum originariarum aut adquiſitarum;

2) a qualitate repraefentationum, a quibus meditatio principium fumit; 3) a facili reproductione eiusmodi repraefentationum, quae fini fiue fcopo meditationis maxime correfpondent. Exin fuopte elucefcit, meditationem maxime adiuuari, fi a) *ante meditationem* nobis omnium, quae alii de eadem materia cogitauere, fcientiam comparemus; b) fi in memoriam reuocemus, quae ipfi iam defuper cogitauimus; c) fi meditationis obiectum, dum factorum, experimentorum & obferuationum, quae circa illud inftituebantur, reminifcamur, viua fictione exhibemus, idque adeo ope facultatis imaginandi clare ac dilucide repraefentamus. d) *Secundo inter meditandum* fuffulcimur praefertim perfeuerantia, animo atque incuria de felici progreffu meditationis anxietatem haud admittente & denique afpectu liberae pulchraeque naturae & ambulatione.

Schol. Quoniam meditatione folus fenfus internus afficitur, permanifeftum eft, meditari, quam maxima cum attentione obferuationem inftituere, legereue aut audire, multo difficilius effe. Noli tamen exin, ficuti aliis placet, concludere, meditari animi ftatum effe *praeternaturalem*; verum meditatio potius exculti hominis rationali naturae prorfus confentanea eft. Eadem dein meditatio multum abeft, vt vitam phyficam deftruat, vt potius certis limitibus circumfcripta ceu vis vitalis incitamentum confiderari debeat. Neque externi noftri ftatus confcientia meditatione opprimitur. Illa enim prorfus deficiente, haec vel in *Ecftafin* (raptum) vel *Phantasma* (reverie — wachender Traum) tranfit.

§. 59.
Somnium.

Somniare generatim eſt ſtatus hominis dormire inter & vigilare intermedius: homo non dormit, quo obſcurae ſenſationum externarum perceptionis capax redditur; non vigilat, quo fit, vt excitata imaginandi facultas imagines realitate omni deſtitutas inarbitrarie poſſit fingere.

Cum plurimis recentioribus Phyſiologis depreſſionem ſenſibilitatis in omni ſyſtemate neruorum, & praeprimis in cerebro & neruis, quos *ſenſituos* adpellitant, cauſam ſomni eſſe iudico. Licet autem ſyſtema neruoſum omne, idque ſolum dormiat, (qua de cauſa omnia phoenomena, omnesque functiones, quae a ſyſtemate neruoſo pendent, in ſomno ceſſant, cetera vero omnia organa, quae ſua ipſorum energia pollent, nec niſi indirecte a neruis ſuffulciuntur, nunquam dormiunt); nihilominus tamen non requiritur ad ſomnum, vt *ſimul omne* ſyſtema neruoſum dormiat; conſequenter *ſomnus partialis* non implicat. *Hinc* homo dormire ſimul & ſomniare dicitur. Vigilante cerebro, ceteris neruis dormientibus, ſomnia oriri poſſunt. In iisdem quia dormiunt nerui communes & ſenſus & nerui motorii, nulla corporis noſtri, in lecto decumbentis, repraeſentatione gaudentes, omni alio in loco eſſe, aliumque in mundum nos demiſſos, opinamur. Somnia a ſomno profundo nata, nonniſi a Coenaeſtheſi & organis ſenſoriis incipere poſſunt. Ventriculi & inteſtinorum moleſtiae, calor, dolor, pulicis aculeus, lux, ſtrepitus ſomnium inchoant.

Somnus a vigilia hisce difcernitur notis: a) peruerfa fucceffione repraefentationum; b) effectuum, quorum caufae in fomnio repraefentatae fuere, defectu; c) corporis proprio dormientis fitu. Dicta peruerfitas, dum nimirum differentes admodum repraefentationes a facultate imaginandi modo huic modo illi idearum adfociationis legi obtemperante, coniunguntur, haud raro durante adhuc fomnio percipitur, fi ipfa fiat abfona, & ad abfurdum delabatur. Absque vltimis duabus notis faepiffime homines iudicaremus fomniantes ex peruerfitate fola, qua eorum repraefentationes fefe excipiunt. * Tribus praepofitis notis d) quarta adhuc fingularis addi debet talis: interruptio adfociationis feriei *in experientia fundatae* nos docet, repraefentationibus nullum obiectum extra nos pofitum correfpondere. Ita ex repraefentatione per fomnum nata, domum quam habitem, iuxta templum S. Petri Romae pofitam effe, concludo, me fomniaffe, interrumpitur enim adfociationis feries ad legem contiguitatis ordinata.**

Infomniorum vtilitatem fequentibus aeftimare licet, & quidem *primo refpectu corporis*: 1) *Kantiani* placiti: „das Traümen fcheint zum Schlafen fo nothwendig zu

* SHAKESPEARE Heinr. IV. Tom. II. Act. 2.

** Si confequenter fucceffio repraefentationum noftrarum nulli obiectiuae legi fubeffet, illae nonnifi ceu totidem imaginationes absque obiectiua realitate, obiecta ipfa igitur, vt tot *modificationes* fubiecti repraefentantis fpectare neceffarium foret.

gehören, dafs Schlafen und Sterben einerley feyn würde" vix argumentis vllis refutandi, verifimilitudo pluribus rationibus euincenda eft. Argumentum in contrarium praefertim petunt ex teftimonio experientiae, dari homines, qui haud fomnient; idem & PLVTARCHVS pluribus exemplis nixus, & ARISTOTELES * defendebat. Cui obiectioni KANTIVS occurfurus, ita inquit: „Man kann wohl für ficher annehmen, dafs kein Schlaf ohne Traum feyn kann, und wer nicht geträumt zu haben wähnt, feinen Traum nur vergeffen habe."

2) Infortunati cuiuslibet, qui vigilans nil nifi affligentem fortem fuam mente melancholica voluit, verus recentium virium fons exiftere fomnia videntur, fi quae tantummodo ex laetis faltimque aliis heterogeneis repraefentationibus quafi texantur.

3) Morbos nonnunquam, vti fatis conftat, praecedunt fomnia grauia, triftia, quorum caufam ipfam fenfim deficientem valetudinem effe liquet; hinc fomniorum ope faepius fanitatis noftrae ftatum diiudicare, morbosque praecauere valemus.

Secundo refpectu pfychologico emolumentis fomniorum fequentia adnumerantur: α) gaudium & deliciae, quae faepe ex fomniis fluunt; β) animi huiusue facultatum continuata exercitatio; γ) familiaritatem cum malis ac miferiis quandam in fomniis nacti iam iis reuera in

* ARISTOT. Vol. VI. Part. II. pag. 30.

nos irruentibus multo minori gradu affligimur; 7) denique perfpectu non difficile eft, fomnia ad noftrum ipforum cognitionem multum conferre poffe. *

§. 60.

Noctambulatio.

Noctambulatio (das Schlafwandeln), ftatus dormire inter & vigilare intermedius, gradus fomnii fublimior eft, i. e. ftatus inarbitrariae, etfi fubin conuenientis, repraefentationum adfociationis, quae cum motibus corporis, aliisque actionibus eisdem correfpondentibus iunguntur. Hinc in noctambulis pars cerebri motoriique nerui vigilant, dormiunt vero organa, coenaefthefis, ac reliqui nerui. Plurimum ad noctambulationem corporis indolem conferre, Medici docent; Pfychologi dein huius phoenomeni caufam reperiunt praefertim in vigore facultatis imaginandi adeo eminente, vt imagines viuaciffimae producantur, queis homo rapitur, indeque variis fungitur negotiis, quibus perficiendis vigilans tantummodo par eft. Idearum vero adfociationis feriebus organorum fenfatione fubito interruptis, noctambulus ad fe ipfum quafi rediens, fui ipfius confcientiam nancifcitur.

Verum perquam mirum videtur, noctambulum nonnunquam iis negotiis arte quadam, quam vix in vigilante detegimus, fungi, & in periculofis cum fecuritate,

* Conf. Moritz Magaz. VI. B. 3. St. pag. 76.

quam non poſſumus non admirari, ambulare. * Cuius Phoenomeni cauſam ita explico:

Facultatem imaginandi inſigni vigoris gradu in noctambulo gaudere, iam animaduerti. Inde efficitur, vt ſeries adſociatarum repraeſentationum non roboris tantum gradu magno valeant, verum etiam *maxime completae* ſint. Queis igitur, fini inſuper certo correſpondentibus, hic ipſe itidem *complete* attingi poterit. ** Accedit, noctambulum ex parte dormientem nullo periculo aliisque repraeſentationibus turbari. Quia denique noctambulatio ſtatus intermedius eſt, hinc noctambulans impreſſiones obiectorum aliquas obſcure percipere poteſt, isque maiori, quam vigilans reminiſcentiae vſu gaudet.

Cauſa denique, quare noctambuli raro reminiſcantur factorum, 1) praeſertim in profundo ſomno, quo laboribus peractis ſuperantur, ſita eſt. Ita noctambulus defatigatus atque in ſtillicidio projectus, nec pluuias ſentiebat, nec vndas, queis vndique circumdatus vix

* Plura exempla docent, in ſomnio inuenta fuiſſe, quae omni labore ac intentione vigilantes inuenire non potuerant; Muſici, Poetae, aliisque ſcientiis imbuti ex lecto ſurgunt, chartisque mandant eius generis res, quas ipſi ſomno expergefacti valde mirantur: „Der dümmſte Menſch wird im Traume auf einmahl ein witziger Kopf, der feigſte ein Held." Maimon.

** Series iſtae repraeſentationum in vigilante nunquam eo gradu completae erunt propter continuam, quam vigilantes patimur, interruptionem.

non hauriebatur; 2) feries adfociatarum repraefentationum vigilantis continuo interruptae atque adeo admodum incompletae in feriem noctambuli minime quadrant * completam.

§. 61.

Status fixae ideae.

Ad fomnii ftatum proxime accedit ftatus fixae ideae, in quo apparentia cum realitate obiectiua *modo perdurabili* coniungitur. Differt ftatus fixae ideae a *mania* vel infania *totali* hoc charactere, quod qui eo laborant, tantummodo in aliquibus infaniant, in reliquis vero cunctis fixae ideae fphaeram non attingentibus fapiant.

Status fixae ideae, quem *maniam partialem* (das zum Theil geftörte Gemüth) appellare fas efto, modo diuerfiffimo fefe exerit; vel enim 1) obiecta fe percipere opinantur eiusmodi aegri, quae *vel* non exiftunt, *vel* non funt praefentia. Quam ad claffem ii praefertim pertinent, qui fe ab hoftibus atque inimicis vndique cinctos putant, atque hinc fermonibus, vultu, aliorumque geftibus peffime ab ipfis explicatis facillime irritantur; qua de caufa omne cum aliis commercium fugiunt. **

---

* Moritz Magaz. 7. B. 1, 2. St. —

** Mathias Klug *fola imaginatione*, contra regem *Poruffiae* librum fe fcripfiffe, feductus, regem perfecutorem extimefcebat. Moritz Mag. 1. B. p. 7.

2) Alii ſe vel corporei quid vel ſpiritualis ſentire arbitrantur, quod ſentiri nequit (eigentliche Schwärmer); e. g. caput cornibus deforme ſe habere; cera compactos eſſe, aut commercium cum Deo ſpiritibusue ſibi intercedere.

3) Viciſſim alii, qui non ſentiunt, quod ſenſatione ſanis detur, neceſſe eſt; ſic *Stroth* imaginatione, corpore ſe deſtitui, torquebatur. *

Aegritudo animi tribus hisce dictis modis ſignata *dementia* (Wahnſinn) audit. Demens nimirum fictionibus facultatis imaginandi viuacibus realitatem obiectiuam tribuit, illisque ſummo tenacitatis gradu tenetur, quam ob rem vix aut ne vix quidem ſanandus.

§. 62.

Bini adhuc animi ſtatus memoratu digniſſimi, qui e facultate imaginandi productiua, minorem tantummodo dementiae gradum arguentes, explicatum ſuum hauriunt, ſunt *adflatus* (Begeiſterung) & generatim *fanatismus* (Schwärmerey), haud confundendi, licet finibus vix percipiendis ab inuicem differant.

A. *Adflatus.*

Vt quis dici queat *adflatus* (begeiſtert), praeter quoddam animi talentum (ingenium) requiritur, vt copia repraeſentationum vigore diſtinctarum gaudeat, quae

* Mor. Mag. II. Tom. pag. 72.

occasione data, vel subitanea impressione externe aut interne aduecta *velut agmine facto ruant.* Quum repraesentationum iam subito e fundo animi quasi prorumpentium, nobis clara conscientia non sit: huius phoenomeni causa inuisibili vi siue sublimiori tribuitur. Hinc Poetae *vates* dicuntur, quorum adflatus proprio vocabulo: „furor poeticus" insignitus fuit. Veteres Poetae aiebant: „Est Deus in nobis, agitante calescimus illo, — impetus hic sacrae semina mentis habet." — His atque aliis rhetorices flosculis summum animi spontaneitatis gradum, quo adflatus se gaudere sentiscit, indicaturi. Idem animi status *exaltatus* in votis poetae est, dum Musam implorat. *

§. 63.

Continuatio.

Causae ac partes adflatus constitutiuae sequentes adnotentur, velim:

1) Causae *physicae* sunt: a) nimia externarum impressionum cohibitio, v. g. nimia abstinentia; b) praepotentia vnius impressionis, quae alias sensationes opprimit. Huc praeprimis refero calefieri vino, poet[is] aliisque artificibus haud ignotum.

2) Animus proprio nisu & intentione adflatum progignit, quatenus repraesentationes imaginesque dispers[as] ad vnum quasi colligit focum, quibus hoc modo noua[m] tanquam vitam inhalat.

* *Ecstasis* (Entzückung) est primus ad adflatum vel[he]mens impulsus, quo homo rapitur.

3) Animus repraefentationum Monotonia (vt ita dicam) languefcens, earundem nouitate eo magis exaltatur, quo nouum fimul fublimius fuerit & admirabilius.

Ratione modi, quo adflatus fe exerit, fequentia animaduertas: α) Ideae fublimes ab animo exaltato corpore quafi induuntur; quae a ratione indeterminata relinquuntur, ab adflato magis determinantur; β) viciffim repraefentationes obiectorum fenfualium tanquam corpore priuantur, & ad idealitatem prouehuntur. γ) Adflatus cum aliis communicatur fola intuitione adflati; fimile quid contingere folet in quibusdam morbis, (v g. epilepfia). Huius phoenomeni caufa *primo* fimilis neruorum indoles eft, & *fecundo* praefertim facultatum animi & principiorum & fenfionum confenfus, nec non externa conditio adflati fpectatoribus cum hoc ipfo communis. Hinc eft, cur oratione alter adfletur, alter haud adeo moueatur. Oratorem vero, vt animos auditorum fcopo fuo conuenienter agitet, & ipfum adflatum hoc effe, & praeprimis fiducia mutua adiuuari oportet.

§. 64.

B. *Fanatismus.*

Vt Fanatismus explicetur, praeprimis ad genefin iudicii, quo quis demum Fanaticus (Schwärmer) vocetur, attendendum eft. Ea quidem talis eft: In vita communi a conceptibus ad iudicia transgredi folemus, quin magno animi intentionis gradu opus fit. Siquis igitur in quotidiana conuerfatione eius generis repraefentationes,

ſiue eiusmodi idearum adſociationes proferat, quae conſuetum cogitandi ſiue iudicandi ſtatum turbent aut interrumpant: male id ferentes, vel ſubliniorem facultatum eius natiuam indolem, aut culturam ipſarum cauſam habemus, *vel exaltationem fanaticam* (ſchwärmeriſche Ueberſpanntheit) *inſaniae* admodum affinem * arguimus. Ita ingenii acuti motus, quos prima vice in homine nobis ignoto percipimus, ſuſpicionem, hunc fanaticum eſſe, pariunt.

Colligitur exin: 1) conceptum fanatiſmi mere *relatiuum* eſſe; quem hic fanaticum alter ingenium acutum vel profundum caput adpellat. Attamen ex dictis 2) patet, fanatiſmum generatim charactere *ſeriei repraeſentationum nexu deſtitutae* a quolibet diſtingui. Atque hac nota diſcrimen fanaticum inter & adflatum ſatis eluceſcit; adflati enim ſeries repraeſentationum, vtut inſolitae ac audaces, nexu tamen haud carent. Verum vtrique animi exaltatio communis eſt, quae *reſpectu adflati* ſubitaneo & tanquam a ſupernaturali vi effecto naſcitur impulſu; in fanatico autem ea oritur, ſi rei cuidam nimium pretium tribuitur, eiusdemque repraeſentatio cum pluribus *heterogeneis* vel adeo *contradictoriis* eum in finem connectitur, vt eius obiectum propius determinetur. Fanatiſmi conſequenter repraeſentatio notam

* „Ich habe keinen Wahnſinn geredet; ſtellt mich auf die Probe; ich will euch alles Wort für Wort wieder herſagen; der Wahnwitz würde Abſprünge machen.“ Shakeſpear's Hamlet.

falsitatis inuoluit; dum adflatus in se veritati neutiquam repugnat. Hic denique aliter, ac fanatismus, non perdurabilis animi status est.

§. 65.

Continuatio.

Fanaticismus a Feruore & Enthusiasmo, vtroque animi statu illi perquam affini, ita discernendus est:

1) *Feruor* (Eifer für etwas) est status *voluntatis* exaltatus, qui limites veritatis non excedit.

2) *Enthusiasmus* denotat statum facultatis sensionum — affectum — idea boni exaltatum, in quo homo veritatis limites transgredi parat. Enthusiasmus longiori tempore perdurat, vel certe crebrius recurrit, quam adflatus. Maxima vero quantitate protensiua feruor gaudet. Enthusiasmi, vti & feruoris, praesertim quatuor dantur obiecta, amicitia nimirum & patria, religio & artes scientiaeque, quorum cuiuslibet ratione boni, quod inest, repraesentatione seductus Enthusiasmus, alio prorsus modo, ac Feruor, vix non vnquam, quae in illis vitiosa sunt, ignorat, consequenter propter nimis adauctum eorum obiectorum valorem in eo est, vt alias ciuitates, religionis systemata alia atque alias artes, scientiasque non suas spernat, aliter sentientes contemnat, aut persequatur. Generatim de Enthusiasmo valent inferius de affectu dicenda.

3) Fanatismus e falso adflatu, falsoque Enthusiasmo

genefin deriuans talem *facultatis imaginandi (productiuae atque effrenae)* ftatum indicat, vbi homo veritatis limites reapfe transgreffus eft; id, quod *fanaticae* & *opiniones* & *paffiones* fatis commonftrant.

§. 66.

Continuatio.

Fanatifmi Species.

Pro obiectorum diuerfitate diuerfae etiam dari poffunt Fanaticifmi fpecies, quia nil adeo mediocre atque tam exigui pretii effe videtur, quo facultas imaginandi inflammari nequeat. Sequentes autem tres fanatifmi fpecies praefertim difquifitioni noftrae occurrunt, *Fanatifmus Vanitatis* (Schwärmerey der Eitelkeit), *Fanatifmus focialium propenfionum* (Schwärmerey der gefelligen Neigungen), & *Fanatifmus religionis* (Religionsfchwärmerey).

A. Fanatifmus vanitâtis ex opinatis indigentiis originem ducit, rebusque in fe vanis accenditur, propterea quod a facultate imaginandi tanquam prorfus neceffariae fummique pretii finguntur.

B. Fanatifmus focialium propenfionum eft vel anatifmus amoris, vel amicitiae, vel fanatifmus in patriam.

a) Fanatifmus amoris (*Wertherianismus*) oritur, dum pretii amati obiecti vltra limites aucti iacturam maginatio ceu fummi atque vnici boni detrimentum

repraesentat. Exempla praebent Equites medii aeui, & omnis generis myſtici amore capti.

b) Fanatiſmus amicitiae, vti fanatiſmus amoris ideo maxime diſplicet, quia arctiſſimo incluſus circulo non tantum amorem generis humani, ſed etiam patriae & erga ciues beneuolentiam extinguit. Beneuolentia vero vniuerſalis (*Cosmopolitismus*) vix in fanatiſmum vnquam abibit; nimia enim extenſione vis intenſio perit. Itaque

c) Fanatiſmo patriae (eſprit public) potius rapiuntur homines, feruentes, vt ciuitatis iura bonaque defendant.

C. Fanatiſmus religionis demum naſcitur, ſiquando facultas imaginandi Chimaeras producit circa doemonologiam & religionem.* Haud quiuis circa religionem error *religioſa ſuperſtitio* dici poterit; nam haec in opinione, quas cultus religioſus praeſcribit, actionibus hominem numini gratum reddi iuſtificarique poſſe, conſiſtit. Nec quaelibet ſuperſtitio religioſa *fanatica* adpellari poteſt, vtpote quae tunc primum progignitur, ſi medio adeo *ſupernaturali*, ope ſcilicet commercii cum diis &

* Fanatiſmus religionis *ſimpliciter* fanatiſmus ſalutatur a *fano*, templo ſiue cadauerum aedicula, cuius miniſtri a romanis *fanatici* vocabantur. Eorundem dein commercium cum diis daemonibusque iactantium fraus illud nomen infamabat.

ſpiritibus impetrari poſſe, opinemur. Superſtitio dein & fanatiſmus hoc quoque differunt, quod mere ſuperſtitioſus timet, vel tantum ſperat, fanaticus vero agit, quia nuda phantaſmata pro realibus ſenſationibus habet. Superſtitioſus nonnunquam Logica ac naturae ſcientia indiget: fanaticus autem imaginatione laborat, quo fit, vt vehementer ſperet aut timeat. Summus fanatiſmi gradus ex certitudine hominisque affectu cognoſcitur, quo *immediate* ab omnipotentia diuina aut a ſpiritibus praeter iuſtificationem talia ſe impetraturum eſſe ſperat, qualia inde vel omnino non poſſumus exſpectare, vel propriis viribus adipiſci valemus.

Ad procreandum religionis fanatiſmum, humano generi exitioſiſſimum, certe cauſas phyſicas praeter pſychologicas conferre, ex hoc ſolo manifeſtum efficitur, quod nimia corporis mollities cauſa fanatiſmi exiſtere poſſit. Ita qui ſeptentrionales habitant regiones, robuſto praediti corpore vel nullo egent Genio cuſtode & Lare, vel hosce ſpernunt. Verum meridionalium regionum gentes molles pauidaeque omni in re, quae bene ſuccedat, Deorum ſeu ſpirituum adiumento ſibi opus eſſe, opinantur. Hinc ſexus quoque foemineus virili pronior ad fanatiſmum eſt.

SCHOL. GENER. Ex hucuſque de fanatiſmo adlatis ſuopte fluit:

1) Fanatiſmi fontem quaeri debere in diſproportione facultatis cognoſcendi inferioris cum ſuperiori, & ſpeciatim Imaginationis cum intellectu & vi iudicandi.

2) Quilibet generatim animi vehementes motus — affectus, paſſiones — vix non vnquam fanatiſmum comitem habent, quippe qui non ceu effectus tantum, verum etiam ceu cauſa illorum ſpectari debeat. Ita fanaticus ſuperbia & ſui ipſius ſufficientia & admiratione effertur, opiniones ſuas vt diuulget, feruore ardet, eſt perſecutor & martyr.

3) Quo quis longiori tempore fanatiſmo regitur, eo difficilius ſanabitur.

Sectionis I.

Capvt II.

DE FACVLTATE COGNOSCENDI SVPERIORI.

§. 67.

Facultatis cognoſcendi ſuperioris diuiſio.

Facultas cognoſcendi ea, quae ſpontaneitatis charactere inſignita eſt, generatim facultas cognoſcendi ſuperior audit. Ea nimirum vt fons repraeſentationum *intellectualium*, quae non adfectione, ſed actu ſpontaneo poſſibiles fiunt, conſideratur. Iam vero *τὸ cogitare* generaliter repraeſentare eſt ope repraeſentationum intellectualium, hinc omnes facultates, queis cogitare abſoluitur, facultati cognoſcendi ſuperiori ſiue intellectuali iure adnumerantur. Cogitare dein tribus praecipue functionibus diſtinguitur: 1) functione, qua conceptus; — 2) qua iudicia; — 3) qua ratiocinia efformantur. Primae & ſecundae functionis poſſibilitatis ratio *intellectus* eſt, tertiae vero *ratio* ſiue facultas ratiocinandi. Quum denique intellectum inter & rationem vinculum quaſi efficiat vis *iudicandi* (die Urtheilskraft), theoria facultatis cognoſcendi ſuperioris, quatenus ad Pſychologiam pertinet, quatuor praecipue partibus complete ſiſtetur, quarum *vna* de intellectu, ceu facultate conceptus efformandi; *altera* de eodem, ceu facultate iudicandi; *tertia* de vi iudicandi, & *quarta* de ratione aget.

CAPITIS II.

DE FACVLTATE COGNOSCENDI SVPERIORI

ARTICVLVS I.

INTELLECTVS, CEV FACVLTAS CONCEPTVVM.

§. 68.

De Conceptibus, eorumque genesi.

Repraesentationum intellectus genesis generatim innititur functioni, qua datarum repraesentationum varium ad ordinem quemdam redigitur ac coniungitur; quo fit, vt variae istae repraesentationes vnitatem nanciscantur. Possibilitas igitur repraesentationum intellectus generatim innititur *functioni vnitatis.*

Functio vnitatis vel *originaria* vel *deriuatiua* est, prout nimirum varii repraesentationum dati coniunctio vel *Synthesi* vel *Analysi* possibilis redditur. Nam datum intuituum varium vel successiue facultate imaginandi adiuuante coniungitur ad vnitatem, quo modo totius cuiusdam conscientiam primigene quasi progeneramus; vel reflectimus tantum ad ista synthesi orta producta, attendentes ad diuersitatem eorum & identitatem, dum ea analysi & abstractioni subiicimus; inde efficitur, vt ipsam conscientiae identitatem in vario nobis dato repraesentemus, i. e. repraesentationem *communem* siue *conceptum* producamus.

Sequitur, omnem analyſin ſyntheſin praecedere debere, nec dari conceptus *innato*, vt vocant. Id quod experientia iam docet; qui enim organo quodam ſenſorio caret, caret etiam cuncto intuituum vario ope illius nobis comparando, atque hinc neceſſario omnibus conceptibus, qui exin ſyntheſi aut analyſi intellectus actu ſpontaneo formari poſſunt. Nullum denique conceptum *mere datum* dici poſſe, ex eo euidens eſt, quod conceptus geneſis absque ſpontaneitate ſubiecti cogitantis impoſſibilis ſit. Ex dictis pariter deducitur, ſenſualitatem, licet charactere *Paſſiuitatis* inſigniri debeat, iure tamen haud ſperni poſſe relate ad intellectum, quoniam *Spontaneitate* gaudeat. Nam intellectus a facultate imaginandi & productiua & reproductiua, vti patet, ſummopere adiuuatur, & conceptuum materiam ſenſuales repraeſentationes plurima parte conſtituunt. E praefata denique geneſi conceptuum facile intellectu eſt, eos ab intuitibus praeſertim hoc differre, quod conceptus ceu notae obiectorum communes ad haec ipſa qua indiuidua non immediate, vti intuitus, ſed mediate tantum, i. e. intuituum ope referri poſſint.

§. 69.

Conceptus extenſio & intenſio.

Extenſio conceptus (Sphäre, Umfang) conſiſtit in repraeſantationum, quas ſub ſe continet (in quibus conceptus ceu nota reperitur) complexu. Conceptus igitur ad ſe relati vel *ſuperiores* vel *inferiores* (conceptus *generum & ſpecierum*). Hominis vt entis intelligentis dignitas

atque prae brutis praerogatiua hac conceptuum generum & fpecierum quam maxime elucefcit. Bruta enim intuitionibus folummodo ad indiuidua immediate referendis reguntur, hinc, quam artificiofa & tenera etiam gaudeant organifatione, & quantumcunque huius ipfius cultura in nonnullis promoueri queat: nihilo tamen fecius bruta eoufque nunquam excoli poffunt, vt ratione facultatum, quas fpirituales compellamus, fimilitudinem hominis quandam nancifcantur. Conceptus enim, quos efformare non valent, cum illis quoque communicari non poffunt. Ii confequenter, qui defectum facultatis imaginandi praeprimis in caufam inferioris brutorum gradus culturae referunt, a veritate, vt opinor, neutiquam deflectunt. Nam absque ea facultate *indefeffa* (vt ita dicam) impoffibilis eft omnis conceptus. Ad modo dicta diuerfarum quoque hominum claffium gradus culturae diuerfos aeftimare, non eft difficile.

Intenfio conceptus efficitur notarum in conceptu contentarum complexu. Notae ipfae vel *effentiales* vel *accidentales* funt; earum refpectu conceptus *completus* & *praecifus* dicitur, fi tot notis conftet, quot conceptui determinando, i. e. limitibus ita reftringendo fufficiunt, vt omnibus repraefentationibus fub illo contentis, & tantum hisce conueniat. Si diuerfitas confcientiae cum conceptuum notis in diuerfis hominibus iunctae refpiciatur, conceptus faepius eam claritatem non habent, qua eorum proficuus vfus eget. Si enim fingulae conceptus repraefentationes adeo obfcurae fint, vt eius ab

aliis conceptibus difcriminis haud confcii nobis fimus, ipfe *obfcurus*, fecus *clarus* adpellatur. Plebis conceptuum plurima pars claritate caret, qui igitur cum fenfionibus obfcuris iuncti plebem tyrannide quafi opprimunt. Hinc feductio plebis facillima eft.

§. 70.

Conceptus diftincti, mere clari & confufi.

Conceptus *diftincti*, queis pauciffimi homines & haud quidem citra laborem gaudent, fpontaneitate hominis fumma, nimirum ratione conciliantur. Hoc confequenter loco id vnicum animaduertatur velim, diftinctionem conceptuum in claritate fingularum repraefentationum ceu notarum confiftere, diftinctisque conceptibus opponi *mere claros*. Diftinctionis gradus pro diuerfitate gradus confcientiae ipfos admodum diuerfos effe, in aprico eft.

Quum omne varium, quod ordine indiget, *confufum* (verworren) audiat, intelligitur, quid fit conceptus *confufus*. Ordo autem ifte, fine quo nulla diftinctio conceptuum cogitari poteft, vel mere *formalis* eft, talis nimirum, quali in coniunctione plurium repraefentationum ad vnitatem *primarias* & *fecundarias* difcernamus; vel *realis*, dum fcilicet confcii nobis fimus, quaenam nota fiue repraefentatio in conceptu contenta vel effentialis principalisue, vel quae tantum accidentalis aut adhaerens fit. Cuius igitur cognitiones conceptusue plurimi ordine nexuque fyftematico deftituuntur, is *confufum caput* iure adpellatur, etfi fingulos claros & diftinctos conceptus

habeat. Eiusdem confusionis conceptuum nonnullos corporis morbos caussam existere, satis innotescit. Verum memoria dignissimum phoenomenon est, aegros omnino alia, quam quae mente voluunt, interdum loqui, quanquam adeo sibi conicii sint, linguam voluntati non obedire.

Conceptus analyseos ope & abstractionis distincti redduntur. *Synthetica* autem distinctio nihil aliud est, quam conceptum distinctum producere, id quod inuestigatione & combinatione plurium notarum ad vnitatem fit. Qui singulari analyseos atque abstractionis vi gaudet, intellectum *acutum* prae se fert.

§. 71.

Conceptuum vsus.

Conceptibus vel *in abstracto* vel *in concreto* vtimur: in abstracto, si in eo de omnibus, quibus ipse ceu nota conuenit, repraesentationibus, siue de obiectis, queis ceu determinatio inhaeret, praescindamus. Hoc modo Philosophum conceptibus non posse non vti, ex eo euidens est, quod vsus iste conditio sit, sine qua nequeat leges regulasue vniuersales circa obiecta scientifice pertractanda statuere. Intellectus *communis* vtitur plerumque conceptibus in *concreto*, i. e. cogitat conceptus, quatenus ipsi in repraesentatione inferiori continentur. Qui igitur, vt e. g. aliorum philosophemata intelligat, exempla petit crebriora, aut ingenii tenuitatem aut perquam exiguum culturae gradum prodit. Inde est quoque,

quare tritum illud: „*Exempla trahunt*" potiſſimum pro incultis valeat, qui pulcri, veri & honeſti protypo ſpontaneitate progenerando impares, nonniſi ectypo ex aliorum praeſertim ſententiis, opinionibus & actionibus quaſi collecto diriguntur. Poeta vt vigore & claritate imaginum moueat, conceptuum vſum in concreto eligit, licet eis in abſtracto vti, haud neſciat. Conceptus rem *adaequantes*, i. e. completi ac praeciſi ſcopo intellectus maxime correſpondent.

§. 72.

Tranſitus.

Vlterior conceptuum, tanquam notarum communium, vſus, *ratione geneſis ipſorum habita*, facile detegetur. Conceptus enim cum non ſit, niſi repraeſentatio τȣ identici variarum repraeſentationum, eiusdem vſus is tantummodo erit, vt generatim conceptus ratio ad illud varium cogitetur & determinetur, i. e. indicetur, quocum vario conceptus ſit identicus, vel non identicus; ſiue, quod idem eſt, vt determinetur, an conceptus in repraeſentatione τȣ varii contineatur, nec ne.

Iam vero actus, quo determinatio iſta abſoluitur, *comparatio* eſt, atque huius quidem comparationis ope relatio repraeſentationum, quam ſupra adſignaui, determinata, audit *iudicium*: inde conſequitur, vt conceptuum vſus intellectus ſcopo correſpondens generatim iudicii poſſibilibus cernatur.

Capitis II.

Articvlvs II.

DE INTELLECTV, CEV FACVLTATE IVDICANDI.

§. 73.

Iudicium.

Conceptus, ſiue nota communis, cuius relatio generatim ad varium quoddam in iudicio determinatur (§. praec.) a Logicis *praedicatum* iudicii; illud varium vero, quocum conceptus comparatur, iudicii *ſubiectum* compellatur, vocabulum, quo praedicati & ſubiecti ad conſcientiae vnitatem coniunctio exprimitur, *copula* audit; modus denique ipſius coniunctionis *forma* iudicii recte ſalutatur.

Coni nctio praedicati & ſubiecti in vna conſcientia duplici cogitari modo poteſt: *vel* enim ea eſt *originaria* ſiue *ſynthetica*, *vel deriuatiua* ſiue *analytica*. Inde iudicium vel *ſyntheticum* eſt vel *analyticum*. In ſynthetico iudicio praedicatum cum ſubiecto ſyntheſi ab intellectu coniungitur, conſequenter eiusmodi iudiciis obiectorum cognitiones nobis conciliamus. Iudiciis vero analyticis, queis praedicatum analyſi e ſubiecti conceptu depromtum cum hoc rurſus coniungitur, neutiquam noſtram cognitionem obiectorum amplificari, ſed clariorem tantummodo effici, in aprico eſt.

§. 74.

Vitia, quae in iudicando committuntur.

Experientiae teſtimonio ſatis conſtat, obiectis nonnunquam nos tribuere notas, quae eis neutiquam conueniunt. Vitium hoc originem ducit vel ex praecoci iudicio; inde tritum illud: „*ad poenitendum certe properat, qui cito iudicat*"; *vel* ex nimia, quam ſenſibus praebemus, fide; *vel* ex illuſione a facultate imaginandi profecta, dum coniunctiones ab hac effectas pro realibus habemus; *vel* denique iudiciis *mere ſubiectiuis* obiectiuam realitatem tribuimus, id quod praeſertim contingit, quum obſeruationibus & experimentis de obiectis experientiae captis ea, quae aut ex praeiudiciis vetuſtis vel iudiciis praeuiis d ſuper cogitauimus, iam reapſe confirmari putamus; au ſi, quae tantummodo concludimus, nos obſeruaſſe, nobis perſuademus. Nec raro quoque accidit, vt, quae mente ſatis diu voluimus conſcii, ipſi nudis inniti opinionibus, in iudicia obiectiua paullatim & furtim quaſi transmutentur. Ita mendax eo pedetentim delabitur, vt ipſe adeo mendaciis ſuis fidem habeat.

Quantam igitur ad vere iudicandum curam, attentionem atque ſolertiam adhiberi oporteat, ex dictis colligere pronum eſt. Vix conſequenter hominum vllus, ſi ſuperbia elatum propriisque viribus nimis confidentem excipias, cum aliis iudicia ſua communicare, aliorumque deſuper ſententias ſollicitare, haud indigebit. Veritas enim eſt, vt ita dicam, bonum commune. Quod igitur noſtris iudiciis nemo conſentiret, & ipſi nos

eorundem veritate non possemus non desperare. Intellectus dein veritatem inuestigaturus iudiciis praeuiis quam maxime adiuuatur: haec enim viam siue methodum adsignant, qua, quod quaeritur, detegi aut inueniri possit. Iudicii autem praeuii facultas *talentum* est *sagacitas* (Nachforschungsgabe) salutatum. Sagacitatem igitur ad regulas ediscere impossibile est.

CAPITIS II.

ARTICVLVS III.

DE VI IVDICANDI.

§. 75.

Vis iudicandi subsumens & reflectens.

Vis iudicandi duplex extat functio; *vel* enim ex vniuersali particulare, vel e particulari vniuersale eruit. Ratione prioris functionis vis iudicandi *subsumens* siue *determinans*, ratione autem alterius *reflectens* siue generatim *ingenium* (Witz) vocatur.

A. *Vis iudicandi subsumens.*

Intellectus, quas statuit, regulae nullius prorsus forent vsus, nisi ex illis particulare sub iisdem contentum cognosci valeret. Atque id quidem determinare, vis iudicandi est functio, quae nimirum casus singulos regulis intellectus conuenienter diiudicat.

Vis iudicandi praecipuus, quo a ratione & intellectu distinguitur, character est, quod eius defectus doctrinis atque institutis compensari, vel hisce vis illa excoli non

poſſit, vtpote quae crebriori duntaxat exercitio multaque experientia perfici valet.

B. *Vis iudicandi reflectens.*

Vis iudicandi reflectens, ſiue ingenium (ſenſu ſtrictiori), facultatem, ad datum particulare inueſtigandi vniuerſale, indicans, ad hoc Inductionis ope & Analogiae* adſcendere nititur. *Analogiae* ope vis iudicandi reflectens determinat identitatem (perfectam ſimilitudinem) duarum rationum (Verhältniſſe) res inter ſpecifice diuerſas intercedentium ad formulam: A ſe habet ad B, vti C ad D (x). Si B & D ſint ſpecifice diuerſa (e. g. ratio & inſtinctus); D erit *Analogon* ipſius B — *ratio impar* —.** Secus (*ratione pari*) concluſione iuxta Analogiam facta B tribuitur ipſi C.*** Inductionis dein ope a vi iudicandi nota quaedam generica eo determinatur, quod haec *homogeneis* aliquibus indiuiduis conueniat. Inductione igitur a pluralitate ad omnitudinem, & analogia, *quatenus* haec producta cogitatur, a conſenſu partiali ad totalem (ſiue identitatem) quoad eſſentialia adſcendimus.

* Analogia vel *quantitatiua*, ſiue mathematica (proportio) eſt, vel *qualitatiua* ſiue *philoſophica*, prout obiecta adinuicem comparata vel quanta vel qualitates (notae ſeu determinationes) ſunt. Hac nonniſi ratio ad tertiam qualitatem; illa ipſum quartum membrum conſtituitur.

** Quemadmodum hominis opus ſe habet ad Rationem, ita agger, quo Caſtor fluminum ripas iungit, ad Inſtinctum (cauſam nobis incognitam); vbi ob rationem imparem inſtinctus Analogon rationis.

*** Quum homo & brutum ad vnum genus animalium viuentium

Quamquam Inductio, nisi sit completa, & Analogia nullam scientiam, i. e. vniuersalitatem cognitionis & necessitatem praebeant: nihilominus tamen inductione & analogia probabilitatem gignentibus, in illis, quae sola experientia cognosci valent, carere non possumus. Vis igitur iudicandi reflectens, quatenus repraesentationes heterogeneas inuicem comparando, & id, quod pluribus commune est, componendo ad vniuersalitatem (comparatiuam) progredi nititur, intellectus (ceu facultatis τῆ vniuersalis) munere quasi fungitur, quem consequenter in amplificandis cognitionibus summopere adiuuat. *

§. 76.

Cont. Acumen (Scharfsinn).

Vis iudicandi, vt rite subsumat, varii partim identici diuersitates inuestiget, necesse est; ingenium autem, heterogeneas repraesentationes adsimilans ad varii diuersi identitatem attendit. Hinc vtraque facultas summo

---

viuentium pertineant, vita vero facultas, repraesentationibus conformiter agendi, appelletur; sequitur, ob eam rationem parem analogice posse concludi, quod & brutum similiter, quam homo, ad repraesentationes suos, quos cernimus, effectus producat.

* Quoniam hic Analogiae atque Inductionis explicationibus, quas cl. Erhardo in libro: „Roeschlaub's Magaz. zur Vervollkommnung d. theor. u. prakt. Heilkunde 1 B. 1 St. pag. 35." adferre placuit, refutandis aptus non datur locus; propria dissertatione respondere mihi proposui.

cernitur gradu, si neutra minimam diuersitatis & identitatis notam praetermittat, aut si neutra minutissimas adeo similitudines vel dissimilitudines percipiendi facultate sit destituta. Haec quidem facultas *acumen* compellatur. Hinc ingenium *acutum* quidem, ast acumen haud *ingeniosum* vocare licet. Vis iudicandi acuta conciliat *exactam* cognitionem, ingenii vero acumen eiusdem operibus vigorem tribuit, quae non possunt non placere, propterea quod heterogenearum & iuxta idearum adsociationis leges quasi disiectarum repraesentationum similitudine ab ingenio libero tanquam lusu producta suaui ac iucundo modo afficimur. Ingenii luxus imprimis macula vanae argutationis (Witzeln) notatur, quae nonnunquam vsque ad absurda defertur. Laborantis denique ingenii sal omnisque suauitas deperditur.

Ingenium a beneuola natura matre acceptum talentum esse, dubio caret. Quo qui non gaudet, *obtusum* licet compelletur *caput* (ein stumpfer Kopf), eum tamen caeteris, quae intellectus culturae innituntur, excellere, non repugnat. Qui vero insuper & vi iudicandi, quam subsumentem diximus, indiget, *stupidus* (dumm) vocatur; *stolidus* (albern — Thor) dein adpellitatur ingeniosus, qui vi iudicandi destituitur; stolidus alios offendens, *stultus* (Narr) audit. Qui peragendis negotiis vi iudicandi eminet, *sanus* (gescheid) dicitur, idemque si ingenio pollet, *prudens* (klug) nuncupatur; is demum, qui & ingenium & vim iudicandi in opere artis monstrat, *perspicax* (sinnreich) audit.

CAPITIS II.

ARTICVLVS IV.

DE FACVLTATE RATIOCINANDI, SIVE RATIONE.

§. 77.

Ratiocinium.

Vt, quid ratio ſit, ac quonam modo rationis ſpontaneitas ſeſe exſerat, intelligatur, eius productum, ratiocinium, inueſtigare, praeſertim iuuat. Eſt vero ratiocinium generatim iudicium *mediatum*, i. e. tale, in quo praedicatum ſubiecto, mediante tertio quodam, aut tribuitur, aut denegatur, In quolibet nimirum ratiocinio adeſt conditio, ſub qua praedicatum de ſubiecto cogitatur; conditio iſta quoque ſubiecti nota ſiue conceptus medius a Logicis vocatur: hic in omni ratiocinio regulam vniuerſalem conſtituit, ab intellectu traditam. Propoſitio regulam ſiſtens *maior* audit. Dein vis iudicandi determinat, ſubiectum reuera ſub regula cogitari debere, i. e. fit in *minore* ſubſumtio; iam primum rationis eſt, quae nexum iudicium concluſum inter & praemiſſas propoſitiones ceu neceſſarium enuntiet; nexus iſte, ſiue Conſequentia, vocabulo: *Ergo* exprimitur.

Ratiocinium humanae mentis actum ſupremum eſſe maximeque completum, ſatis manifeſtum eſt. Ad id enim efformandum omnes facultates cognoſcendi facultatem ſuperiorem ſiue intellectualem conſtituentes concurrunt. Quam igitur ſenſus & facultas imaginandi ad

intellectum rationem habent, eandem quoque intellectum & vim iudicandi inter & rationem intercedere, facile perfpicitur. Ratio itaque dignitatem inter facultates fuperiores fummam tenet, eaque iure hisce infignitur notis: a) Ratio eft facultas cognitionum mediatarum i. e. ratiociniorum ope obtinendarum. Quam multa autem fint, quorum veritas non immediate (nec fenfu nec intellectu) perfpici valeat, vix vllus ignorat; confequitur inde rationis prae reliquis facultatibus praerogatiua atque vtilitas. b) Ratio eft facultas *idearum*, vti intellectus facultas conceptuum. Ratio fcil. ceu facultas ratiocinandi i. e. ad conditionatum conditionem rationemue inueftigans, iudicii conclufi nexum cum praemiffis neceffarium tunc demum ftatuit, fi maior vltra conditionata non fit: confequenter rationis functio ad inconditionatum; fiue ab vlteriori conditione independens tendit. Repraefentationes iam eo modo a ratione efformatae ideae dicuntur, tanquam *repraefentationes inconditionatai*. Ideae igitur, quum inconditionatum in experientia fiue perceptionibus non detur, hoc eminent charactere, quod eas adaequans haud vllum in experientia detur obiectum. Confequenter ideae normas, quibus humana mens regitur, fupremas conftituunt.

Siquis igitur nititur, vt ideis intuitiones adaequatas fubponat, eisque adeo quae correfpondeant obiecta realia determinet, cum *ratione furit.** Quo in cafu

* Is generatim cum *ratione furere* (mit der Vernunft rafsen,

facultas imaginandi ratione principiisque ſubiectiuorum finium gratia quaſi abutitur, omnique vi conatur, vt ideas ad ſenſuales repraeſentationes deprimat. * Vnde fit, vt, quae imaginatio producit, Chaos fictionibus atque philoſophematis mixtum, repraeſentent.

SCHOL. GENER. Dictarum facultatum ſummus perfectionis gradus hisce praedicatis iure inſignitur: 1) intellectus *rectus* vocatur, quatenus conceptibus *ſufficientia* (Zulänglichkeit) & *praeciſione* (Abgemeſſenheit) notatis, i. e. rem adaequantibus gaudet. Quo in caſu intellectus veritati cognoſcendae maxime idoneus intelligitur. Intellectus rectus *confuſo* opponitur. *Hebes* (einfältig) is adpellatur, qui plurium cognitionum ab intellectu recipiendarum incapax omnem praeceptoris laborem eludit. 2) *Vis iudicandi* qua *exercitata* (geübt) iudiciisque *discretiuis* (in gewiſſen Fällen gerade zutreffend) excellens ſumma laude coronatur; 3) *a o* denique *profunda* atque *ſolida* (gründlich) maxime exculta perſpicitur.

---

rafsen) dicitur, qui ad principia quidem cogitat, ſed mediis fini aſſequendo e diametro oppoſitis vtitur. *Argutans* (Vernünftler) vero nominatur, qui vel propter ſanae rationis (bon ſens) defectum, vel propter ignorantiam elenchi finem transgreditur, cuius aſſequendi gratia ratione vſus eſt.

* Mor. Mag. X. 3. pag. 45.

§. 78.
Ingenium (Genie).

Quamquam ingenium diuerſimode definitur, in eo tamen omnes conſentiunt, quod illud maxima parte naturae donum (talentum) ſit, cuius conſequenter defectus nulla induſtria nullaque diſciplina ſuppletur. Ingenii productum ſuo in genere *vnicum* eſt, h. e. nec quomodo originarie producatur, edoceri poteſt: quum ipſe inuentor, quas ſecutus eſt, regularum ſibi haud conſcius ſit; nec imitatione attingitur, adeoque alterius reddi nequit. Verum hoc charactere ſola artis pulcrae producta inſigniuntur. Nam ſubtiliſſimae ſcientiae quaecunque edoceri poſſunt, inuentionesque ſcientificae noſtrae reddi; hinc ingenium ſic poterit explicari: *Ingenium eſt talentum, quo arti pulcrae natura regulas tradit.*

Artis vero pulcrae opus illud audit, quod contemplanti etſi artem, non naturam monſtret; regulis tamen cunctis adeo exemtum eſſe videtur, vt nudum naturae productum prae ſe ferat. Si igitur ingenium generatim definitur tanquam talentum *inuentoris,** reſtringi id debet ad inuentorem operis artificioſi, qui conſequenter ſua arte eminens iure *ingenium* adpellatur, dum inuentor

* Helvet. de l'eſprit. Diſc. 4. Chap. 1. Autor hic cel., inuentionem notam ingenii characteriſticam eſſe, contendens, omnium adſenſum vix nanciſcetur ratione adſerti, eum tantum ingenium adpellari, cuius ingenio ars vel ſcientia quaedam ſuam debeat Epocham.

operis cuiusdam ſcientifici vtut egregii *Caput* (ein Kopf) ſalutatur.

§. 79.

Ingenii notae eſſentiales.

Notae ingenii eſſentiales tres extant: 1) *Originalitas.* Nam ingenium talentum inueniendi id eſt, ad quod producendum determinatam dari regulam, ſibi repugnat. Ingenium conſequenter nominare *originale* idem eſt, ac circulum rotundum dicere. 2) Ingenii opera ſint *Exemplaria* (Muſter); 3) eadem ne ſint ad regulas *diſtincte cogitatas* genita, id eſt, ita ſint comparata, vt qui contemplatione operis arte atque cum facilitate producti tenetur, *afflatum artificisque ſublimem genium* (ideis exaltatum) perſentiſcens, admodum moueatur. Licet igitur ſic dicti αυτοδιδακτοι propter originalitatem ingenia nuncupentur; ipſi tamen eatenus tantum hoc nomine iure inſigniuntur, quatenus ſubliniori facultatis imaginandi productiuae gradu excellunt. Huc pertinent imprimis Heinr. HEINIKEN *, ſatis clarus MOZART ** & PARKER *** puer noſtris diebus laude florens, ingenia vere *praematura* ſiue *praecocia.* Verum ARCHIMEDES, DU VAL, Jac. BERNOULLI, NEWTON, KEPPLER, KANT ſenſu ſtricto

---

* Lebensbeſchreibung des Heinrich Heiniken. Göttingen. 1779. 2te Aufl.

** Schlichtegroll's Nekrolog.

*** Journal, London und Paris. 1799. Nr. V. pag. 5.

haud ingenia, ſed *Capita egregia* ſalutantur. Qui cum artis pulcrae tum ſcientiae operibus ſuis originalitate inſignitis prae caeteris eminent, *vaſta ingenia* (Univerſal-Genien) nominantur, quo paſſim refertur LEIBNIZIVS, Leonardo DA VINCI, James CRICHTON. *

Quemadmodum tandem conditiones hominis externae, educatio, clima, natio, vitae ſtatus, quin immo caſus nonnunquam, in excitandas promouendasque animi facultates quam maxime influunt; ita quoque climatis praeſertim ſiue coeli temperiei atque nationis in differentem ingenii culturam vim late perſpici, vix eſt, vt moneatur. ** Hinc illud TVLLII de fato: „Athenis tenue coelum, ex quo etiam acutiores putantur Attici, craſſius Thebis"; & KANTIVS praeclare inquit: *** „Es (das Genie) ſchlägt bey den Teutſchen mehr in die W u r z e l, bey den Italienern in die K r o n e, bey den Franzoſen in die B l ü t h e, und bey den Engländern in die F r u c h t."—

---

* Tour in Scotland a Pennant. pag. 295 & ſeq.

** Conf. F l ö g e l's Geſchichte des menſchlichen Verſtandes. 9te verm. Aufl. Frankf. u. Leipz. 1778.

*** Anthrop. p. 163.

PSYCHOLOGIAE EMPIRICAE
SECTIO II.
DE FACVLTATE SENSIONVM.

CAPVT I.
DE SENSIONE IN GENERE.

§. 80.

Sensio.

Ad explicandam ſenſionem notetur, velim: 1) ſub ſenſione generatim intelligi *voluptatem* (Luſt), cuius contrarium *taedium* (Unluſt) adpellatur, quare illorum, quae de voluptate valent, contraria de taedio edicenda ſunt. 2) Quaeuis ſenſio quamquam ad externum obiectum referri poſſit, quid tamen interni in animo contingens eſt, & quidem *haud perdurabilis* mutatio; 3) ſenſio non eſt repraeſentatio, quacum licet ei nexus ſit; 4) ſi *effectum* ſenſionis reſpicias, eiusdem ratio etiam ad

facultatem adpetendi perpetua animaduertitur, quatenus nimirum voluptas praesentem animi statum seruandi, taedium vero eum tollendi conatum producit. Si modo recensitas sensionis notas complectimur, eam ita explicare fas erit: sensio est animi mutatio non perdurabilis, quae etsi non ipsa repraesentatio sit, nota tamen repraesentationis animi nostri status fieri potest, & quam inter & animi conatum, voluptatis statum conseruandi, taedii vero tollendi relatio intercedit. Non igitur obstante sensionis nexu cum repraesentationibus & cupiditatibus ceu istius causis & effectibus, *propriam* sensionum facultatem admitti cogitur. Hinc sensio nec *data*, nec *infusa*, nec *innata* adseri valet.

§. 81.

Sensiones & obiectis & repraesentationibus non necessario correspondent.

a) Externi, quod nos adficiendo sensionem voluptatis aut taedii excitat, obiecti repraesentatio plane differt a sensione, quae consequenter, ceu quid mere subiectiui, *obiectiua nota* haud dici potest; nec determinata repraesentatio perfectionis vel imperfectionis obiectiuae determinatam pariter voluptatem seu taedium progignit. Exin sequitur, vt sensionum genesis ex obiectorum indole, ad quae referuntur, nequeat deriuari. — Sed &

b) Sensiones non *necessario* repraesentationibus correspondent, quatenus haec subiectiua perfectione, claritate, distinctione & viuacitate gaudent. Nam obscura

minusque vigens repraefentatio faepiffime maiori vi, quam clarior atque viuacior delectat. Quin immo fenfiones nonnunquam (Mufica e. g.) progenerantur, quin obiecti alicuius vel repraefentationis cuiusdam nobis confcii fiamus.

§. 82.

Senfionis genefis.

Ex modo dictis confequitur, repraefentationem generatim * inter & fenfionem medium aliquod adfignari debere, quo primum fenfio oriatur. Atque id quidem animi generatim actiuitas eft, quatenus haec vel impeditur repraefentationibus, vel promouetur. Nam repraefentationes, vti ex §. pr. fatis patet, cum ceu materia tum ceu incitamentum animi actiuitatis confiderari debent. Sic tritum & confuetum fenfionem taedii parit, nouum vero atque infolitum vix nunquam placet, nulla quidem alia ex caufa, nifi quoniam in primo cafu animi actiuitas retardatur, quae in fecundo promouetur. Simili modo taedium fentimus, fiquid attentionem actiuitatemque irritat, quin votis noftris in fine correfpondeat. Intelligitur inde 1) confenfus fenfionis cum repraefentatione. Eaedem enim impreffiones atque incitamenta, quae fenfiones prouocant, & repraefentationum caufae exiftunt; 2) *poffibilitas* fenfionum genefis ex

* Obiecta fenfationes *internas* fiue fenfiones duntaxat fufcitare poffunt, *quatenus repraefentantur*; hinc repraefentationum generatim hic mentio fit.

adfectione obiectorum, quin eorundem impreſſiones re-praeſententur. Ita tonorum compoſitio alia voluptatem alia taedium pro certa mathematicarum rationum indole gignit, quamquam repraeſentationes hae — aut non re-praeſentantur, aut penitus adeo ignotae ſunt.

Facile inde patent leges pro ſenſione voluptatis taediique validae.

§. 83.

Nec ſtatus indifferentiae nec ſtatus aequilibrii datur.

1. Omni voluptatis ac taedii cauſa prorſus defici-ente, ſtatus *indifferentiae* (der Zuſtand der Gleichgültig-keit) naſceretur, (ſicuti ex defectu *phyſicarum* ſenſionum voluptatis corporeae & doloris *mors* prodiret). Verum *abſolutam* indifferentiam, vitae ideo *ſpiritualis* deſtructio-nem impoſſibilem eſſe ex eo manifeſtum fit, quod animi ſtatus, eiusdem actiuitate continuo vel impedita vel promota, continuae Senſionum ſucceſſioni ſubſit. *Relatiua* conſequenter duntaxat indifferentia concedenda eſt.

2) Ex oppoſitione reali cauſarum voluptatis & taedii eodem momento & aequali vi facta animi *aequilibrium* (das Gleichgewicht) oriretur. Aſt quia eiusmodi animi ſtatus ab abſoluta indifferentia *in ſe* non differt, aeque impoſſibilis perſpicitur. Aequilibrium vero *relatiuum* vel ſucceſſionem ſenſionum velocem, vel ſenſionis gra-dum admodum exiguum denotat.

Certus indifferentiae atque aequilibrii gradus *otium* (Langeweile) nuncupatur, quo homines ex iusto plus imminuta animi actiuitate torquentur. Huius vero & monotonia repraesentationum & earundem ad facultatis repraesentandi culturae gradum disproportio praecipua causa exiſtit; ea enim efficitur, vt ad vitam noſtram temporisque ſucceſſionem anxii reflectentes otio tabeſcamus.*

Otii igitur dolore homines inculti & barbari haud eo, quo culti, gradu affliguntur, isque in homine culto adeo vehemens euadere poteſt, vt vita excedendi conſilium capiat, dum e contrario alii maximam per vitae partem ingrata otii ſenſione quamquam cruciati fuerint, de vitae tamen breuitate conqueruntur. Cuius rei ratio ſimili, qua viam in regione vaſta & obiectis memorabilibus deſtituta abſolutam aliis repraeſentationibus ſufficienter occupati breuem diiudicamus, regulae imaginationis innititur, iuxta quam vitae ſpatium factorum copia illuſtratum maius, ac re eſt, aeſtimamus.

§. 84.

Binae ſpecifice diuerſae ſenſiones.

Senſio voluptatis & ſenſio taedii ſpecifice diuerſae ſenſiones ſolae conſtituunt, vtpote quae ſibi *contrarie* (vti + & —) oppoſitae ſunt. Gradus vero vtriusque, ceu quanti *intenſiui*, infinitos cogitare licet, ita quidem vt nec abſolute minimus nec abſolute maximus admitti

* Quam differenti modo tempus metiamur, inde explicare eſt. Conf. Home's Grundsätze d. Kritik. Th. 1. p. 249—267.

poſſit. Conſequitur, vt nullae dentur ſenſiones, vt vocant, *mixtae*; nam ſenſiones voluptatis & taedii eodem momento iunctae ſe deſtruunt.

Senſio igitur *reuerentiae* (das Gefühl der Achtung) & ſenſio *ſublimis* (das Gefühl des Erhabenen) mixtae ſenſiones vere non ſunt, licet ſenſiones voluptatis & taedii ob velocem ſucceſſionem e cauſis diuerſis ſucceſſiue tantum agentibus proficiſcentem vnica tantum repraeſentatione, indeque vno quoque termino complectantur.

Generatim dein in omni ſenſione quid varii (vti in repraeſentatione) diſcernere impoſſibile eſt, conſequenter nulla ſenſio *compoſita*, cuncta vero *ſimplex* dici debet.

Exin vlterius ſequitur, *ſupraponſdium* ſenſionis (Uebergewicht) ex differentium voluptatis & taedii rationum eodem momento animo praeſentium gradu vigoris diuerſo enatum admitti haud poſſe. Ille enim, vti facile patet, animi ſtatus ſenſionem mixtam argueret.

§. 85.

Senſiones in- & externae, corporeae & ſpiritales.

Senſiones a pluribus in geminas diſpeſcebantur claſſes, in *externas* nimirum & *internas*. Aſt haec diuiſio, vt opinor, ſolido fixoque fundamento caret. Nam omnis ſenſio quid interni ſiue mutatio animi ſtatum concernens eſt & 2) ſenſio, quamquam ad obiecta externa referatur, ab iisdem tamen haud progeneratur, cum geneſis ab actiuitate animi aut facultatis repraeſentandi pendeat: Conſequenter omnis ſenſio *interna* potius nuncupanda eſt.

Diuiſionis dein ſenſionum in *corporeas* & *ſpiritales* fundamentum praeſertim diſtinctio principii ſenſionum eſt, quod vel in corpore vel in intellectu rationeque ſitum eſſe dicunt. Aſt ſenſio incorporea vere talis ea foret, cui nil corporei admixtum eſſet, quod adſertum iam EPICVRVS impugnauit iure contendens, omnem ſenſionem corpoream eſſe, quoniam animus, ceu principium vitae ſpiritalis ſiue actiuitatis vt huius ipſius impedimentum aut adiumentum agnoſci poſſit, conſequenter omnis ſenſio (reſpectu poſſibilitatis geneſeos eiusdem) & ratione effectuum & partim ratione principii ab organis certaque organiſationis modificatione plus minusue pendere debeat. Cuius placiti veritatem ratione ſenſionis adeo reuerentiae legi morali praeſtitae confirmari, cuilibet deſuper ſerio reflectenti facile patebit. Generatim denique intimus corporis animique nexus nuſpiam diſtinctius cernitur, ac quatenus homo ceu ens ſenſionum capax agnoſcitur.

§. 86.

Senſionum diuiſio.

Iuxta ſenſionis explicationem (§. 80.) ſequentem cum KANTIO ſtatuere ſenſionum diuiſionem nobis conſultum videtur. Claſſis nimirum prima complectitur ſenſiones *ſenſuales*, altera *intellectuales* generatim. Senſualis ſenſio vel a *ſenſu* vel a *facultate imaginandi;* intellectualis autem vel ab *intellectu* (qua facultate theoretica) vel a *ratione* (qua facultate *practica*) principium ſumit. Hinc quinque articulis ſenſionum doctrina ſpeciatim abſoluitur,

in quibus agitur 1) de ſenſione per ſenſum; 2) de ſenſione per facultatem imaginandi; 3) de ſenſione per intellectum; 4) de ſenſione *aeſthetica* (per facultatem imaginandi & intellectum); 5) de ſenſione morali; * quibus 6) ſubnectam articulum de *affectibus*.

CAPVT II.

DE SENSIONE IN SPECIE.

ARTICVLVS I.

DE SENSIONE PER SENSVM.

---

§. 87.

Oblectatio — Dolor.

Quam impreſſiones obiectorum a ſenſu receptae in nobis excitant voluptatis ſenſionem, *oblectatio* (Vergnügen) adpellatur; obiectum vero ipſum, cuius repraeſentatio oblectat, *gratum* dicitur. Oblectationis contrarium *dolor ſenſualis* eſt, atque id, quo hic producitur, *ingratum* audit. Ab obiecto grato ad praeſentem ſtatum ſeruandum, ad quem tollendum ab ingrato impellimur. Maior doloris ſenſualis gradus *nauſea* eſt, quo in obiecti

---

* Senſationes organiſationis, quas cl. JACOB *externas* adpellat, non Pſychologi, verum Pathologi potius obiectum conſtituunt, quatenus ad Cenaeſtheſin relationem habent. Inde eſt, cur ſenſationes iſtae a nobis transmittantur.

intuitione torquemur, ſi illius impreſſiones ſcopo nutritionis repugnent. Nauſeam vero ſola etiam imaginatione excitari poſſe, experientia quotidiana docet.

De obiecto, qno lubenter adquieſcimus, beneplacitum, *ſenſuale Intereſſe* vocant, animi conamen ſimul exprimens, in eodem cum grato obiecto commercio non ſemper duntaxat permanendi, ſed ipſum etiam perfectius reddendi, cuius dein impreſſiones maiorem voluptatem gignant. Gratum & ingratum pro organorum ſenſoriorum indole in diuerſis diuerſa vniuerſali iudicio non poſſe definiri, me etiam non monente, liquet.

§. 88.

Proprius oblectationis fons.

Ingrato ſtatu exeuntes ſimul alium ingredimur; quae viciſſitudo nonniſi *ſucceſſiua* a nobis repraeſentari poteſt. Hinc quaeritur: conſcientia *exitus* e ſtatu vno, — an *proſpectus* ingreſſus in alterum *futurum* oblectationis cauſa exiſtat? In primo caſu oblectatio quid negatiui, e *ſublato* dolore proficiſcens; in ſecundo autem quid poſitiui, quatenus praeſenſio ſtatus animi grati augmentum voluptatis foret. Quum vero praeſenſio admitti nequeat, conſequenter qualem determinatum ſtatum praeſentem derelinquentes ingrediamur, nos lateat, manifeſtum eſt, in eo, quod a ſtatu praeſenti ad *alium quemcunque* transeamus, ſenſionis oblectationis fontem quaeri debere.

Siquis igitur omni ſe dolore cupit exemtum eſſe, quid petat, neſcit. Absque dolore enim nulla oblecta-

tio, nullumque gaudium. Nec gaudium immediate, ſed dolore intermedio (retardatione vis vitalis) alterum ſequitur. Dolori *ſenſim* diffluenti oblectatio minus viuax ſuccedit, quae eo maior in regula eſt, quo vehementior fuerit dolor, & quo celerior ab hoc ad gaudium transitus fuerit. Oblectatio inde genita ad eum interdum gradum euehitur, vt mors ſubitanea conſequatur.

Obiecti igitur iucundi impreſſiones, vt ne iuſto vehementiores ſint, oportere, ſatis patet, alias enim dolor ex impedita vi vitali ſemper naſcitur. Simili modo, vt obiectum iucundum dici queat, ita comparatum ſit, neceſſe eſt, vt eius intuitus absque labore multo concilietur. Hinc chaos ingratam ſenſionem progignit. Quo igitur ſub dicto reſpectu perfectius obiectum eſt, eo maior voluptas.

§. 89.

Animi Status ratione oblectationis proprius deſignatur.

Senſio iucunda, grati obiecti repraeſentatione parta, generatim *gaudium* (Freude) adpellatur, idemque proprio *hilaritatis* nomine (Fröhlichkeit) inſignitur, quatenus obiectum praeſens eius cauſa extat. Hilaritati ſiue laetitiae opponitur *triſtitia* ſiue *aegritudo* ex praeſenti malo prodiens. Hilaritatis autem *habitualis* etſi fons praecipuus temperamentum ſit: iſthaec tamen & principiis conciliatur, ſolius *ſapientiae* praemium ſuauiſſimum. Principiis quoque praeſertim innititur *animi aequitas* (Gleichmuth), in eo conſiſtens, quod nec gaudio nec dolore:

afficiamur.* *Senſibilitas* (in ſenſu pſychologico — Empfindſamkeit) aequo animo nullatenus repugnat. Haec enim generatim receptiuitatem denotat pro ſenſione taedii & voluptatis, charactere roboris animi, vtramque ſenſionem etiam cohibendi, inſuper notata. Atque hac quidem nota ab *irritabilitate* (Empfindeley) diſtinguitur, quae vitioſa eſt, animumque imbecillem & paſſiuum arguit. Animi vero aequitati opponitur indoles (Naturell) illius, qui mox gaudio mox dolore trahitur, quin rationem vtriusque adſignare valeat (das launige Naturell); cuius exemplum praebet Hypochondriacus. Indoles animi dicta a *talento ingenioſo* (dem launigten Talent) differt; hoc enim obiecta de induſtria conſilioque *innerſa* exhibet, vt aliis, rurſus apte collocandi, oblectatio enaſcatur.

Deliciarum fons ipſa receptiuitatis pro ſenſione voluptatis eiusdem ſpeciei *cultura* exiſtit. Hic Philoſophorum Neſtoris placitum de ſe ipſo, vti opinor, verificatum propriis eius terminis tranſcribere fas eſto: „Junger Menſch! gewinne die Arbeit lieb; verſage dir Vergnügungen, nicht um ihnen zu entſagen, ſondern ſo viel als möglich, immer nur im Proſpect zu behalten. Stumpfe die Empfänglichkeit für dieſelbe nicht durch Genuſs frühzeitig ab. Die Reiſe des Alters, welche die Entbehrung eines jeden phyſiſchen Genuſſes nie bedauern

* Praeclaram de animo aequo diſſertationem legere eſt in libro ſub tit. „Philoſophiſches Journal für Moralität, Religion und Menſchenwohl. I. B. 2. H.

läſst, wird ſelbſt in dieſer Aufopferung dir ein Capital von Zufriedenheit zuſichern, welches vom Zufalle oder dem Naturgeſetze unabhängig iſt.*

ARTICVLVS II.

SENSIONES PER FACVLTATEM IMAGINANDI.

§. 90.

A. *Imaginatio qua facultas productiua voluptatis fons.*

Imaginatio ſua ipſius actiuitate magnopere ideo delectat, quod nullis, vt videtur, regulis adſtricta, libero luſu potiſſimum cernitur. Hinc eſt, cur actiuitate Imaginationis impedita, otio tabeſcamus. Luſus autem iſte liber praeclare ingenio (Witz) ſe prodens ſenſionum iucundarum vberrimus fons eſt. Ingenio enim animi actiuitas absque multa & laborioſa intentione multimodis promouetur: a) *Imaginibus*, e. g. Shylock. Ja Sie wuſsten, (keiner, keiner ſo gut wie Sie) Sie wuſsten von dieſem Ausfluge meiner Tochter. Salino. Ohne Zweifel; denn ich kannte den Schneider, der ihr die Flügel gemacht hat, mit denen ſie davon flog. b) Coniunctionibus & Oppoſitionibus mere ſubiectiuis; 1) ſi cauſae nullam obiectiuam ad effectus rationem habentes adſignantur; e. g. Das ſchönſte dabey (bey der mediciniſchen Praxis) iſt, daſs die Todten die beſten, beſcheidenſten Leute von der Welt ſind; niemals hat ſich noch einer

* Kant's Anthr. p. 179.

über den Arzt beſchwert, der ihn umgebracht hat. * 2) Oppoſitionibus, v. g. Dieſe ſpricht von den Thaten der brittiſchen Königinn, jene beſchreibt einen allerliebſten indianiſchen Schirm. ** 3) Si imaginatio mere phantaſticas conſequentias profert: e. g. Jessica. Ich werde glücklich werden; er hat mich zu einer Chriſtinn gemacht — &c. *** 4) Si res minoris momenti cum grauioribus iunguntur: e. g. Traurige Ahndungen bedrohen dieſen Tag die vortrefflichſte Schöne . . . ob die Nymphe Dianens Geſetze verletzen, oder ein ſchwacher chineſiſcher Topf einen Riſs bekommen wird; ob ſie entweder ihre Ehre, oder ihren neuen Brokad beflecken, ihr Gebet vergeſſen, oder eine Maskerade verſäumen, ihr Herz oder ihr Halsgehänge auf einem Balle verlieren wird, oder ob der Himmel den Tod ihres Schoofshündchens verhängt hat.“ — c) Ingenium *ridiculi* ope nos delectat, quod naſcitur exſpectatione mota atque in nihilum ſubito conuerſa: **** e. g. „Beatrix. Ich habe ein gutes Aug, mein Vetter! ich kann eine Kirche am hellen Tage ſehen.“ . . . . „Der Arzt, den man mir anräth, verſteht Latein, Griechiſch und Hebräiſch, die ſchönen Wiſſenſchaften, die Phyſik, die Chymie, die Botanik. Jeder geſteht es ihm zu, und ich

* Der Arzt, der es wider ſeinen Willen iſt.

** Lockenraub. 3. Geſ.

*** Der Kaufmann von Venedig. 3. Akt. 6. Auftr.

**** Kant's Krit. d. Urth. p. 222.

würde mich ſeines Rathes bedienen; aber — ich will noch eine Zeitlang leben.“ * — d) Ingenium denique verborum luſu oblectat: „Hic quieſcit, qui nunquam quieuit.“ . . . „Wetzlar iſt der Olymp der teutſchen Prozeſſe. Denn auf dem Olymp wohnen die Unſterblichen.“ **

§. 91.

B. *Imaginatio qua facultas reproductiua voluptatis fons.*

Imaginatio ſenſionem voluptatis nonnunquam idearum reproductionis ope gignit, qua adeo obiecta praeſentia, quae nobis vel indifferentia vel ingrata ſint, iucunda reddit, e. g. oculos obliquos terramque patriam. Pariter reproductiuae praeſertim Imaginationis functione explicatum ſuum habet phoenomenon, hominem dolore iniucundi obiecti ſuauiter affici poſſe (ſüſser Schmerz). Sic pia filia de optimi patris morte dolorem quaſi alit Imaginatione fauente, eoque pedetentim, ſe piis patris manibus ipſam ſacrificare gaudens, conſumitur. Reproductiuae tandem facultati imaginandi omnes gratas ſenſiones debemus ex repraeſentatione, queis fruebamur, oblectationum oriundas. Et quum a beneuola natura ſimus comparati, vt iniucundi praeteriti facilius, quam iucundi obliuiſcamur; fons gaudiorum iſte vberior, quam dolo-

* Viel Lerm um nichts. 2. Akt. 1. Auftr.

** Käſtner.

rum eſt. Inde ſuopte fluit, Imaginationem in cauſa gaudii de praeterito, ſiue *tranquillitatis* (Zufriedenheit) eſſe principali.

ARTICVLVS III.
SENSIONES PER INTELLECTVM.

§. 92.

Ratione datae materiae intellectus ſpontaneitatem concomitantur ſenſiones.

1) Senſio grata ſeu voluptatis oritur, dum intellectus ad actiuitatem prouocatus, materiam rite efformare valet. Momentum felicis intellectus progreſſus & momentum voluptatis eſt. Taedium autem gignitur vel ex defectu materiae ſufficientis, vel quatenus materia data niſi cum ſumma intentione, ab intellectu formari nequit.

2) Quum nos ſimus a pueris diuerſiſſimis rebus circumdati, vnde nobis repraeſentationes oriuntur, adſueſcimus velut perpetuo repraeſentationum fluxui. Quidquid igitur intellectus progredientis ſpontaneitate impedimentum obiicit, diſplicet. Huc pertinet vniformitas materiae datae & nimia varietas.

a. Uniformitas admodum ingratam ſenſionem in iis praeſertim, quibus temperamentum ſanguineum eſt, gignit. Inde eſt, cur iuuentus magnam materiae varietatem poſtulet, ne intellectus non ſatis cultus mox defatigetur. Eadem vero lex ratione paſſionum neutiquam valet.

Paffione enim v. g. atra quadam (e. g. vindictae cupidine) inflammatus homo eiusdem obiecti repraefentationi fixus quafi inhaeret, omnes repraefentationes heterogeneas repudians. Verum confuetudine efficitur, vt vniforme minus grauiter fentifcamus.

b. Ratio, cur varietas materiae proportionata delectet, ex eo euidens eft, quod ifthaec naturali repraefentationum fluxui, quo liberos nos fentimus, correfpondeat. Aft fi varii nimia detur copia, *vel* nexu naturali egeat (nimis heterogenea), fenfio taedii oritur, quoniam eo in cafu functiones intellectus aut interrumpuntur, aut ipfe ob fpontaneitatem fuam differenti nimium modo occupatam defatigatur. Quae demum in cogitationum feriem praecedentem nullatenus quadrant, intellectus nonnifi coactus tractanda quafi recipit. Exin ingrata rurfus nafcitur fenfio, quam tamen confuetudo & exercitatio mitigare valet.

§. 93.

Continuatio.

Vti materia inculta propter actiuitatem intellectus cohibitam maxime difplicet; ita fuauiter afficimur, quando intellectus obiectorum variorum fiue fingulae cuiusdam rei partium concentum perfpicientis fpontaneitas adiuuatur & promouetur. Sic, qui ftellarum ac planetarum fyftema; harmoniam & corporis humani partium confenfum &c. prima vice animaduertit; fenfione iucundiffima certe gaudebit. Eandem voluptatem haurimus

ex perceptione obiectorum realium confenfus cum fyftemate fola mente a nobis condito (e. g. rerum naturalium indolem nexumque exploraturis).

Quum denique attentione *vel* impedita *vel* prorfus adeo deficiente ipfa intellectus actiuitas non poffit non impediri, patet, quidquid attentionem cum felici fucceffu prouocet, idem in caufa fenfionis voluptatis fore. Regulae inde fluentes funt facili modo detegendae.

ARTICVLVS IV.

SENSIONES AESTHETICAE.

§. 94.

Senfio aefthetica.

Aefthetica obiecti repraefentationis determinatio fola eius relatione ad fubiectum cernitur, quatenus nimirum repraefentatio cum fenfione vel voluptatis vel taedii iuncta iudicatur. Repraefentationum feu ipforum obiectorum aefthetcam determinationem diiucandi facultas *vis iudicandi aefthetica* falutatur. Hinc fenfio ex eiusmodi aefthetica diiudicatione genita ipfa dicitur *aefthetica*. Senfiones aefthetcae autem geminae habentur: *fenfio pulcri, fenfio fublimis.* Vim iudicandi aefthetcam *ratione pulcritudinis* etiam *Guftum* nuncupant. Verum exin concludere noli, exhibitionem aefthetcam τȣ fublimis pulcram effe non oportere. Eiusmodi enim exbitio barbara guftumque offendens, obiectum ipfum aut omni

ſapore priuaret, aut faſtidioſum adeo redderet, i. e. aeſthetica nequaquam foret.

§. 95.

A. *Senſio pulcri.*

Voluptas, quam ex obiecto, quod pulcrum dicimus, haurimus, eſt 1) non *intereſſata*, i. e. non obiectiua rei indole aut generatim exiſtentia eius reali progenita. Nam ſi quaerimus de pulcro, non de eo quaerimus, num nobis placeat obiecti cuiusdam exiſtentia, verum potius num obiecti intuitio cum ſenſione voluptatis iuncta ſit. Inde 2) voluptas ex obiecto, quod pulcrum dicamus, ad ſubiectiuas *Indiuidui* conditiones haud relata, eius generis eſt, vt ex iudicio de pulcro vniuerſaliter lato eam quiuis hauriat. Illi demum iudicio nullatenus conceptus finisue rei pulcrae repraeſentatus fundamento eſt, propterea quod pulcrum ad ſenſionem referri debet; a conceptibus autem ad ſenſionem voluptatis ſeu taedii nulla patet tranſitio, ac generatim nulla ſenſio conceptui innititur.

§. 96.

Senſionis pulcri cauſa explicatur.

Ex modo dictis facile deducitur, materiam ſiue obiecti intenſionem ſenſionis pulcri cauſam non eſſe; quoniam, vt obiectum pulcrum vocemus, *ſolo intuitu* absque omni conceptu, vniuerſaliter placere debet; ea conſequenter ex obiecti formae adprehenſione erit tali modo repetenda:

Imaginandi facultatem in cognitione eo praeprimis munere fungi, vt varium a ſenſu datum ad imaginem redigat, iam ſupra monui. Si iam imaginatio intellectui varium prima vice ab ipſa ita formatum tradat, vt huius ſpontaneitas absque difficultate & quaſi ludens circa id verſari queat: Imaginationem egregie cum intellectu conſentire dicimus. Sed ipſa etiam Imaginatio *libero* delectat *luſu*, quatenus ceu productiua ſiue fingens nullis regulis conceptu quodam praeſcriptis reſtringitur. Licet igitur facultas imaginandi, vtpote formae obiecti determinatae adſtricta, libera non ſit; libero tamen huic Imaginationis luſui locus concedetur, ſi forma obiecti adprehendenda ita ſit comparata, vt varii compoſitionem prae ſe ferat talem, qualem ipſa Imaginatio ceu libera in *ſubiectiuo* cum intellectu conſenſu produceret. Quia vero ex luſu facultatis imaginandi libero eiusdemque cum intellectu conſenſu voluptatis ſenſio non poteſt non enaſci, vtriusque vero ratio in adprehendenda obiecti forma ſita eſt: conſequitur, hanc ipſam eſſe ſenſionis voluptatis cum obiecto intuitu ſolo iunctae, conſequenter ſenſionis pulcri cauſam primigenām.

Quoniam denique Imaginatio & intellectus eisdem in omni ſubiecto legibus ſubſunt; ratio vniuerſalitatis iudicii de pulcro lati & communicabilitatis, genitae pulcro obiecto voluptatis, perquam manifeſta eſt.

§. 97.

Cur iudicia de pulcro nonnunquam differant?

Quamuis iudiciis de obiectis pulcris valor vniuerſalis tribuitur; ea tamen ſaepiſſime ſibi adeo oppoſita

eſſe, experientiae teſtimonio ſufficienter conſtat. Cuius diſcriminis rationem praeter diuerſam guſtus culturam praeprimis talem eſſe opinor: Pulcritudo nimirum altera *libera* eſt ſiue *vaga*, altera *adhaerens*. Eam concernit omnis liberae naturae pulcritudo, e. g. flores, volucres &c., quatenus praeſcindimus de omni eo, quod obiecti conceptum finemue praeſupponit. Verum de adhaerente pulcritudine iudicantes ſimul reſpicimus ad id, *quale obiectum eſſe oporteat*. Siquis igitur de pulcritudine adhaerente aequo iudicat modo, ac de pulcritudine libera, & v. v.; neceſſario collidit cum eo, qui diſcrimen praefatum reſpiciens ſuum de obiecto iudicium profert.

§. 98.

B. *Senſio ſublimis (Gefühl des Erhabenen).*

Sublime generatim *abſolute* (non comparatiue) *magnum*, ſiue *magnitudo veneranda* (die Ehrfurcht erregende Groſsheit) adpellatur. Sublime duplicis generis eſt: *ſublime extenſionis* & *ſublime potentiae* (das Erhabene der Ausdehnung — das Erhabene der Macht).

1. *Sublime extenſionis.*

Natura (§. 2. Intr.) Sublimis in illis phoenomenis viſitur, quorum intuitus ideam, naturam ipſam eſſe infinitam, in nobis excitant. Solum enim infinitum abſolute magnum atque tale eſſe, vt omnia eiusdem generis quanta ad infinitum relata parua eſſe cenſeantur. Senſio igitur Sublimis naſcetur, ſi phoenomenon Imaginationi adeo magnum detur, quod vna imagine ab ea, licet omnem

laborem impendente, *comprehendi* non valeat. Hinc licet sensio taedii oriatur; ex altera tamen parte & sensione voluptatis oblectamur, quatenus Imaginationis sentita debilitas nos conscios facultatis intuitus limitibus non circumscriptae atque adeo a sensualitate independentis (rationis), reddit, facultas nimirum infinitum — licet non cognoscendi & exhibendi, idem tamen cogitandi. Ita consequenter imaginationis impotentia efficitur, vt naturam ipsam ceu totum infinitum a sensualitate haud attingendum sub rationis idea (*totalitatis*) repraesentemus.

2. *Sublime potentiae.*

Ad sensionem Sublimis potentiae suscitandam requiritur, vt natura repraesentetur tanquam potentia, cui nulla vi resistere homo valet. Id quod in illis phoenomenis fit, quae terribilia vocamus, e. g. tonitru, tempestate. Ratione vero subiecti requiritur, vt omnis timoris expers, adeoque in tuto positum sit; alias enim vitae conseruandae instinctus impedit, quominus sensio sublimis oriatur.

Hisce praemissis, haud difficile sensionis Sublimis colligitur genesis: ex ipsa nimirum ab homine ceu ente sensitiuo sentita impotentia, naturae vi resistendi, ne ab ac destruatur, (vnde sensio taedii;) conscientia prodit hominis *naturae moralis*, siue *personalitatis suae*, ratione cuius legibus naturae nullatenus subest; (inde sensio voluptatis oritur).

Iuſtum ac tenacem propoſiti virum
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida, neque Auſter

Dux inquieti turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna manus Iouis:
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinae.

HORAT. Od. III. Lib. 3.

SCHOL. Quum eadem in omnibus Imaginationis & rationis indoles, eademque natura moralis iure praeſupponatur: hinc & iudicia de Sublimi vt vniuerſalia enuntiamus. Ratio autem, quare idem phoenomenon in diuerſis, vti experientia teſtis eſt, differentes excitet ſenſiones, e. g. timorem, terrorem, admirationem, praeſertim in culturae gradu diuerſo quaerenda eſt. Animus, enim multis ideis quaſi repletus ſit, oportet, vt ſenſione Sublimis exaltetur.

ARTICVLVS VI.

DE SENSIONE PER RATIONEM PRACTICAM.

§. 99.

Senſio moralis.

Rationem adpellant *practicam*, quatenus praecipit, quod fieri liceat, atque oporteat. Quae vero ex lege a ratione practica ſiue morali dictitata proficiſcitur, ſenſio

moralis audit. Lex scilicet moralis, cuius praecepta charactere necessitatis & vniuersalitatis insigniuntur, absque omni sequelarum respectu obedientiam, vtut difficilem, imperat. Rationis igitur practicae lex potentiae instar est, cui resistere nefas, & ad quam quilibet alius animi elater relatus ceu impotens iudicari debet. Qua in potentia lex moralis repraesentata obiectum *puri & intellectualis beneplaciti* est, sensionis *reuerentiae* (Gefühl der Achtung) salutati. Quatenus autem a lege morali actio quaedam ita determinata iudicatur, vt pluribus iisque grauissimis impedimentis non obstantibus ponatur (das Gesetz unter Aufopferungen); cum actio, tum animus ipse, ceu illius fons, *sublimis* aestimatur.

§. 100.

Sensio contemtus.

Sensioni reuerentiae *sensio contemtus* (das Gefühl der Verachtung)* opponitur, quae sensio taedii est, in nobis progenita ex obedientia legi morali denegata. Contemtus itaque ipsum hominem vtut vitiis obrutum, qua *legis moralis subiectum* nunquam feriens, immoralitatem actionum solam concernit. Hinc *rem contemnere* dicimur, quatenus vitium rationis quoddam autoris sui prae se fert, aut fini rationali nulli respondet. Verum nos improprie ita loqui, in aprico est.

* Reuerentiam & contemtum cum *approbatione & vituperatione* confundas caue. Hisce enim ad intellectum, iis vero ad sensionem exprimitur relatio. —

Senſiones morales praefatas in minori etiam rationis practicae cultura oriri, experientia teſtatur. Inde eſt, cur ſenſus ſic dictus moralis in pluribus ſibi arroget iudicis de actionum moralitate munus, aſt ſaepe fallentis.

Schol. Quod *moraliter conueniens* (moraliſch ſchicklich) & *decorum* (anſtändig) nuncupant, nonniſi ad mores, qua virtutis ſigna, referri debet. *Conueniens* generatim conſiſtit in concentu varii relatione quadam coniuncti. Quo maior ac propior haec fuerit relatio, eo iucundiori fruimur ſenſione Conuenientis, & v. v. Moraliter autem Conueniens omne id dicitur, quod & in agendo & loquendo cum moralitate conſentit; Decorum vero, vt moraliter Conuenientis ſpecies, praeſertim actionum. conſenſu cum ſenſu morali cernitur.

Articvlvs VI.
DE AFFECTIBVS.*

§. 101.
Affectus.

Si ſenſio voluptatis aut taedii eum attingit gradum, quo *animus ſui impos* reddatur, ſiue omnis reflexio cohibeatur, ipſa ſenſio *affectus* dicitur. Hinc affectus *animi aegritudinis ſtatui* accenſeri debent; quippe qui liberum

* De affectibus praeclare diſſerit Aristoteles Rhetor. lib. 2. cap. 2. & ſeq.

hominis arbitrium momentanee ſaltim tollunt, rationisque dominium excludunt.*

Affectus generatim vel *debilitatis* vel *roboris* charactere diſtinguuntur. Hi, (affectuum primum genus) quatenus ipſorum effectus, ad animum relatos, ſpectes, virium noſtrarum, quodlibet vincendi impedimentum, i. e. *animi ſtrenui* conſcientiam excitant (Affecte von der wackern Art); illi vero (affectuum genus ſecundum) omne reſiſtendi conamen obiectum taedii efficiunt, viresque adeo reſoluentes *animum* reddunt *languidum* (Affecte von der ſchmelzenden Art). Si itaque affectuum fontem reſpicias, rite ipſos diſtingui animaduertes pro modo, quo *vel* animum ſtrenuum (vti ira), *vel* languidum (ſicuti dolor mere ſympatheticus, omne ſolamen reſpuens) prae ſe ferant. Animi ſtrenui affectus ideis rationis, praeſertim practicae, excitati, quemadmodum *Enthuſiaſmus*, (§. 65.) ſublimes ſunt, atque animi arguunt nobilitatem, qua alterius generis affectus penitus deſtituti, pulcri potius ſenſioni efficiendae idonei aeſtimantur.

Schol. Cicero affectus, quos *perturbationes* (adpetitus vehementiores) nominat, cum *Stoicis* in duas claſſes diuidit, quarum altera complectitur perturbationes ex opinatis bonis, altera perturbationes ex opinatis malis naſcentes. Eas generatim adpellat *Libidinem* & *Laetitiam*;

---

* Auerſa a recta ratione, contra naturam, πάθος eſt. — Zeno.

hasce *Metum* & *Aegritudinem*, prout perturbatio vel ad bona vel ad mala aut futura aut praesentia refertur.*

§. 102.
Affectus differentes enumerantur.

Gaudii ac tristitiae (§. 89.) gradus sublimior adpellatur *laetitia* profusa (ausgelassene Freude) & *moeror* (Gram). Ad laetitiam profusam pertinet 1) *iactatio*, gaudium gestiens & se efferens insolentius; 2) *risus*, qui ceu affectus oritur ex subitanea exspectationis intensae in nihilum dissolutione. Contrarius huic *fletus* est. Vtroque valetudinem secundam multum adiuuari, non est, cur moneam. — Ratione tristitiae fontis moeror diuersas obtinet denominationes. Vocatur scil. 1) *sollicitudo* (Harm), quatenus futuras miserias ex fonte praesente extimescimus; 2) *aegritudo* (Kummer), si ex causa non tollenda dolore affligimur; 3) *poenitentia* (Reue), ceu moeror ex conscientia (moraliter) malefactorum partus. Tristitiam cruciantem *Dolorem*, permanentem *Molestiam* vocant; tristitia fortunae aliorum aduersae nobis non nocentis *misericordia*, cuius contrarium est *inuidia*. Profusa laetitia eum interdum, experientia teste, attingit gradum, vt subitanea efferuescentia vim vitalem destruat; moeror vero, vtpote in se vi vitali oppositus, ob huius reactionem maiorem nonnisi *pedetentim* mortem conciliat.

De malo venturo, quod intolerabile esse videtur, cura *metus* dicitur, quo qui adficiuntur, animos quasi demittunt ac contrahunt; metus subitaneus,

* Cicer. Lib. IV. Quaest. Tuscul.

concutiens (ex malo improuiſo), *terror* (Schreck) audit; *timor* metum mali adpropinquantis ſignificat, *formido* metum permanentem. Terror autem vehemens, mentemque loco mouens *pauor* (Entſetzen), pauoris autem quaſi comes metusque ſubſequens *exanimatio* eſt. Metus *angor* (Angſt, Beklommenheit) dicitur, ſi ſenſationibus internis, quarum haud diſtincte nobis conſcii ſimus, ex malo quodam minante ortis efficiatur. Angor demum contemtionis perſonae praeſentis *pudor* (Schaam), ad pudorem vero procliuis *verecundus* ſalutatur. Pudor paſſionibus adnumerari debet, quatenus noſtrum ipſorum contemtu (§. 100.) ſatis diu nos torquemus.

Affectus repraeſentatione noui, omnem exſpectationem tranſcendentis ortus, *miratio* (Verwunderung) nuncupatur; eadem vero *admiratio* (Bewunderung), quae nouo etiam iam deficiente perdurat. Si nouum ſimul moueat, *momento haerere* (das Auffallende macht ſtutzig), i. e. animum ad reflexionem tanquam colligere, cogimur. Inde primus mirationis impetus habetur. Summus admirationis gradus *ſtupor* (das Erſtaunen) nominatur. Sapientis eſt, nil *admirari.*

Plurimi recenſiti affectus ſecundi generis ſunt.

§. 103.

Cont. Indignatio, huiusque gradus.

Triſtitiam ob actionem vel legibus iuſtitiae vel prudentiae repugnantem *indignationem* (Unwille); hanc vero *iram* (Zorn) vocant, ſi imminenti malo reſiſtendi

vires inflammentur, * quatenus hocce fubitaneo fit impulfu, ira *excandefcentia* dicitur, ira nafcens, modoque quiefcens. Ira inueterata *odium* eft. Ira a *procliuitate* ad iram, *iracundia* (Jähzorn) dicta, difcerni debet. Summus denique indignationis gradus *furor* eft, vitae perniciofiffimus. Ira vehemens vi cohibita nonnunquam in *odium occultum* (Groll) & *inimicitiam* (Feindfchaft) vlcifcendi tempus obferuantem abit in eum, qui contumeliis iniuriisque nos adfecit.

Qui ira vehementer mouetur, aut rubefcit, aut pallefcit. Qui pallefcit, eodem momento extimefcendus eft; hic enim terrore fui ipfius tanquam percutitur, ne ira raptus plura poenitenda committat. Qui vero rubefcit, eo, quod vehementi ira fimul & timore, vt propriae defenfionis impos videatur, fe captum fentit, eum fubfequenti potius tempore propter vindictae cupidinem ex coercita ira enatam metuas.

§. 104.

Continuatio.

Animus, aliique affectus huic affines.

Qui mente fui compote principiisque fuffulta, pericula viribus collatis ingreditur, *animum* (Muth) com-

* Ira voluptate & vlcifcendi fpe augetur; hinc de ira cecinit Poeta: „Melle liquente magis dulcis quae in pectore crefcit.“

monſtrat; animo opponitur *ignauia* (Feigheit). Qui tranquillitate ex animi robore proficiſcente (ἀταραξία) pollet, quo fit, vt metu haud facile perterreatur, *animo impauido* (Unerſchrockenheit) excellit, *timiditati* (Schüchternheit) oppoſito. *Fortitudo* (Tapferkeit) cernitur animo perdurabili. Diſcrimina prius cognita obiens, *audax* (kühn) ſalutatur, idemque *temerarius* (tollkühn), ſi impoſſibilitas, finem attingendi, pateat; qui vero pericula adit, quia ea non nouit, *audaciae praecocis* macula notatur (waghalſig). Animi ſpeciem *confidens* (der Dreiſte) prae ſe fert, qui cum aliis collatus aut ſemet ipſe conferens, nihil aeſtimationi ſuae detrahi patiatur. Hic ſuae ſibi dignitatis conſcius minime reprehendi poteſt; contra, qui ſpeciem iactat, aliorum de ſe iudicia ſibi perinde eſſe, i.e. *impudice confidens* (der Dummdreiſte — Unverſchämte), iure carpitur, animi totus quantus expers. Confidentiae (in ſenſu priori) obſtat *meticuloſitas* (Blödigkeit), timiditatis ſpecies, ex nimio bonae famae ſtudio interdum enata, quae cura quadam continetur, fore, vt alii perperam de nobis iudicent. Cui vincendae nullum praeſtantius noui remedium, quam vt, conſuetudine cum aequalibus primum facta, demum & aliorum conſortiis immiſceamur, quorum tanta nobis antehac grauitas viſa fuerit.

Ex dictis hactenus facile deducitur, patientiam animi ſpeciem generatim ſtatui non poſſe. Nequaquam enim vires calamitatibus & iniuriis ſemper opponere nititur, ſed potius quaſi nihil agendo conſuetudinis vi

nonnunquam eas confidit fe elufuram.* Quod & ipfum de nonnullis fuicidis fentiendum effe arbitror, qui vitae finem defperantes imponere, quam vires intendere ad miferias deuincendas malunt. Neque tamen hoc ex fonte quoduis fuicidium putes promanare. Dantur enim cafus, vbi reuera animi robore peractum videatur, fic, quum CATO mortem vitae praetulerit, in deuicta ciuitate tranfigendae, nemo ignauia factum effe contendet. Vnde infimul veritas adferti patefcit, non femper abiectiffimum quemque fuicidam futurum.

§. 105.

Aequanimitas.

Quum ad omnes actiones aut ex praecepto Moralitatis aut prudentiae regulis ponendas fana mens atque reflexio exacta requiratur, affectus vero quilibet (maiori aut minori gradu) coecus fit, fini igitur obtinendo

---

* Verum dantur eiusmodi fortunae iniuriae, quae omni vi infuperabiles nonnifi patientia vinci posfint. Quo in cafu mentis vigorem animumque patiendo certe commonftramus, foemineos gemitus atque planctus afpernantes. — Ita e. g. vere canit Poeta:

„Willft du den Neid ertödten? Nur eine Waffe,
Geduld ift's,
Die ihn tödtet; fie nimmt glimmenden Gluten die Luft."

D.

contrarians; consequitur, *aequanimitatem* (*ἀπάθειαν* i. e. *affectuum vacuitatem*) non in votis tantum esse, verum etiam ceu *principium* (practicum) cum *Stoicis* statui oportere. Namque ratio dominetur. Quamuis igitur, quod de passionibus neutiquam vere ac philosophice laudant (hominem namque *servum* reddunt) de affectibus potius dicendum sit: „Die Leidenschaften (Affecten) sind den menschlichen Anlagen, was ein lauer Sommerregen den Pflanzen ist. Ohne alle Leidenschaften würde das Leben eines Menschen ein todter Sumpf seyn, wo kein Gräschen wüchse, und kein Samenkorn sich entfaltete: * primigena tamen affectuum dispositio a natura beneuola tanquam eum in finem indita considerari debet, non vt ipsi imperent, sed vt ratio stimulis pathologicis eo vsque adiuuetur, dum perfectionis roborisque gradum ad frenos ab ipsa tenendos necessarium attigerit. ** KANTIVS itaque vere ait: „Die Naturgabe einer Apathie, bey hinreichender Seelenstärke, ist das glückliche Phlegma (im moralischen Sinne). Wer damit begabt ist, der ist zwar darum noch nicht ein

---

* Henos Nachlass.

** Conf. Abhandlung über die Natur und Beherrschung der Leidenschaften und Neigungen u. s. w. Aus dem Englischen des F. Hutcheson's. Leipz. 1760. pag. 124.

*** Psychol. p. 207.

Weiſer, hat aber doch die Begünſtigung von der Natur, daſs es ihm leichter wird, als Anderen, es zu werden. *

---

* „Vt corporis eſt quaedam apta figura membrorum, cum coloris quadam ſuauitate: eaque dicitur pulcritudo: ſic in animo, opinionum, iudiciorumque aequabilitas, & conſcientia cum firmitate quadam, & ſtabilitate virtutem ſubſequens, aut virtutis vim continens, pulcritudo vocatur.“ — CICERO in lib. cit.

PSYCHOLOGIAE EMPIRICAE

SECTIO III.

FACVLTAS ADPETENDI.

CAPVT I.

GENERALES FACVLTATIS ADPETENDI LEGES.

§. 106.

Adpetitio.

Cum repraeſentationibus alias quasdam animi actiones in id tendentes, vt obiecta repraeſentata nobis *realia* reddantur, praeter ſenſiones iunctas eſſe, experientia nullum relinquit dubium. Eiusmodi animi actio generatim *adpetitio* (Begierde) nuncupatur. Adpetitionem huicque contrariam *auerſationem* (Verabſcheuung) vocabulum „*Volitio*" complectitur.

Volitionum, ſiue ea animi facultas, qua repraeſentationum ope earundem obiectorum *cauſa efficiens* ſimus, *facultas adpetendi* (Begehrungsvermögen)

dicitur. Exin ſequitur, ſiquid adpetamus, id ipſum a) vt futurum adhuc ſit, ac b) poſſibile videatur, quod *ſubiecti viribus* reale reddatur, neceſſarium eſſe. Verum impoſſibilitate realitatis obiecti licet poſthac perſpecta, adpetitionem tamen nondum expletam haud ſtatim extingui, vix eſt, qui ignoret.

SCHOL. Ab adpetitione *concupiſcentia* (das Gelüſten) & *optatio* probe diſcernendae ſunt. Concupiſcentia enim ſenſuale tantummodo animi incitamentum eſt ad adpetendum; & optatio, alias ſicuti adpetitio, ad tale quid refertur, quod poteſtati viribusque noſtris neutiquam ſubeſt.

§. 107.

Adpetitio non datur innata, aut infuſa.

Ex §. pr. concludere pronum eſt, adpetitionis obiectum, priusquam adpetatur, iam ad animum, qua repraeſentandi facultatem, pertinere. Iſthoc enim, *ſaltim obſcure ac indeterminate*, prius repraeſentari debet. Omne igitur facultatis repraeſentandi obiectum & volitionis obiectum eſſe poterit, adeo, vt pro obiectorum illius diuerſitate & adpetitus differentes ſint poſſibiles. Nec non, volitionem ex vnita & obiecti repraeſentati & animi adpetentis actione progigni, eam conſequenter nec *innatam*, nec *infuſam* & *mere* datam eſſe, exin manifeſto colligitur.

§. 108.

Volitio ad ſenſionem relata.

Quae volitionem inter & ſenſionem intercedat, rationem inueſtigaturi, ſequentia animaduertamus, neceſſe eſt:

1) Senſio voluptatis, ex obiecto repraeſentato hauſta, in regula parit adpetitionem; ſenſio vero taedii auerſationem progignit. Adpetitio conatum animi, ſtatum cauſam voluptatis continentem, ſeruandi proxime deſignat; & ſic v. v. de auerſatione.

2) Cum ipſe facultatis repraeſentandi, qui aut voluptatis aut taedii cauſa exiſtit, ſtatus, tum etiam voluptas & taedium per ſe, volitionis obiectum eſſe poterit.

3) Omnis animi actio ipſam repraeſentandi facultatem quum adficiat, eiusdem functiones vel adiuando vel cohibendo: idem quoque de actionibus facultatis adpetendi dicendum erit, quas igitur voluptatis aut taedii ſenſionem producere in aprico eſt. Hinc & *complete* exſatiata & *nimis* vehementi & ſucceſſu priuata volitione taedium oritur; voluptatis vero ſenſione gaudemus, volitionis obiecto reali reddito.

4) Non ſemper volitionem ſenſio praecedat neceſſe eſt, ita vt geneſis volitionis a ſenſione pendeat. Namque volitio ſolius obiecti repraeſentationis ope absque omni ſenſionis interuentu oriri valet; *bonum morale* exemplum praebet. Nec ex ſenſionibus adpetitus *neceſſario* naſcuntur. Dantur enim ſenſiones (e. g. ſenſio pulcri), quae ſola obiecti formae contemplatione oriuntur. Quo in caſu voluptas iure dicitur *contemplatiua*; eo vero caſu, vbi voluptas vel ceu effectus vel ceu cauſa adpetitionem concomitatur, eam *practicam* appellare fas eſto.

Licet igitur cum volitione ſenſio voluptatis taediiue

haud vnquam connexa non ſit; illius tamen nexus cum hac perpetuus adferi nequit.

§. 109.
Leges volitionis.

1) Apetitio eſt animi actus ſimplex, i. e. non datur momentum, in quo *vel* adpetimus ſimul & auerſamur, vel varium quoddam adpetimus; i. e. volitio *mixta* nulla eſt, & nonniſi *ſucceſſio* adpetituum poſſibilis, quae quidem *continua* ea ex ratione erit, quod volitio generatim interna animi mutatio eſt, quae a ſenſu interno, temporis, *ceu quanti continui*, formae adſtricto, percipitur.

2) Quia facultati repraeſentandi nouum ſemper obiectum datur; hinc quolibet etiam momento facultas adpetendi adficitur.

3) Volitioni quum intenſiua duntaxat quantitas competat, infinitos gradus admittit, i. e. non datur *abſolute* minimus, nec *abſolute* maximus volitionis gradus; verum potius volitio quaeuis certo roboris gradu gaudet, qui diuerſo tempore ipſius facultatis adpetendi actu quodam mutatur; alias namque nulla foret ratio gradus adpetitionis mox adaucti mox depreſſi.

4) Quilibet facultatis adpetendi actus, facultatem repraeſentandi adficiens, huius materiam mutat, conſequenter volitionem ipſam alterius iterum volitionis obiectum eſſe poterit; h. e. auerſamur auerſationem, & adpetimus adpetitionem, ſeu v. v. prout facultas repraeſentandi diuerſimode afficitur. Ita auerſamur diuitiarum

adpetitionem, quatenus haec ceu moraliter mala, siue etiam ceu animi tranquillitatem turbans repraesentatur.

§. 110.
De robore volitionis.

Roboris, quem adpetitus habent, gradus diuersitatis ratio in *subiectiuis* tum *obiectiuis* eorundem conditionibus sita est. Leges *generales* notentur sequentes:

a) Quo maior facultatis adpetendi actiuitas est, eo maior quoque volitionis vigoris gradus. Verum dictae actiuitatis gradus rursus pendet tum a modo, quo obiectum repraesentatum animum adficit, tum ab ipsa animi facultatum indole & cultura. Inde lex

b) haec est: Quo magis repraesentandi facultatis actiuitas ab obiecto vel promouetur, vel limitatur; eo maior etiam aut adpetitus aut auersationis roboris gradus erit.

c) Quum adpetitus & auersatio simili prorsus modo, ac sensiones voluptatis & taedii ab inuicem specifice differant; facile ostensu est, & ratione adpetituum nec dari *aequilibrium*, nec *superpondium*, nec *absolutum* facultatis adpetendi actiuitatis *defectum*. Hisce nullatenus repugnat, cupiditatibus adeo oppositis ratione *vnius eiusdemque* obiecti animum posse vicissitudine quadam & commoueri, & easdem simul expleri. *

* Vid. „Grundsätze der Kritik von Home." Leipz. 1763. I. T. pag. 216—225.

§. 111.
Continuatio.
Regulae speciales.

Ratione adpetituum roboris ab experientia comprobatas hasce ſtatuimus regulas:

1) Adpetitio eo fortior eſt, quo incerti atque reconditi plus habet iſtius obiectum; & viciſſim. Cuius rei cauſam maior inde nata Imaginationis & Phantaſiae viuacitas praeprimis complectitur: Exin quoque explicatum habet regula

2) Adpetitio *debilis* obiecti *abſentia* extinguitur; *fortis* magis inflammatur, quae obiecto iam rurſus praeſente propter limitatum Phantaſiae, quo antea excurrere potuerat, campum, nonnunquam debilitatur. Quin immo, deſiderati obiecti pretio ab Imaginatione fingente nimium adaucto adpetitio aut expleta, aut obiecti praeſentia transmutari in auerſationem poterit.

3) Obſtaculis adpetituum atque impedimentis alienis, modo deuincendis, ipſi, vi reſiſtentia creſcenti ſimiles, fortiores efficiuntur. Vinculum enim cum obiecto cariori inde nobis reddito arctius futurum eſſe, ſperamus.

4) Conſuetudine ac crebriori expletione volitionis roboris gradus augetur.

§. 112.
Facultatis adpetendi diuiſio.

Pro diuerſitate repraeſentationum, queis facultatis

adpetendi actiuitas determinatur, haec vel *fenfualis* eft, vel *intellectualis*, vel *rationalis.*

1) *Senfualis* adpellatur, quae repraefentationibus fenfualibus harumque materia determinata conatur obiecta cum repraefentationibus fenfualibus conciliare. Facultas adpetendi *mere fenfualis* dicitur, fi mere fenfualibus repraefentationibus ftimulisque (finnliche Antriebe) *neceffario* determinetur; vnde etiam *arbitrium brutum* audit, quod a facultate adpetendi *humana* eo differt, quod haec ftimulis quidem adficitur iisdemque determinari, fed absque omni neceffitate, valet.

2) Facultatis adpetendi *intellectualis* actiones conceptus pro fundamento habent, quibuscum obiectorum confenfum illa efficere nititur;

3) *Rationalem* denique facultatem adpetendi vocant, quae ideis determinata fatagit, vt eaedem realitatem externe obiectiuam, quantum liceat, nancifcantur.

§. 113.

A. *Facultas adpetendi fenfualis.*

Modo fenfuali quid adpetimus vel auerfamur, quoniam cum illo fenfio voluptatis aut taedii iuncta eft, h. e. iucundum omne adpetimus, iniucundum auerfamur, nitimurque ftatum, vt conferuemus gratum, ingratum vero tollamus.

Adpetitio fenfualis ad obiectum externum relata triplex eft: a) *immediate externa fenfualis*, quatenus externa

eius conditionis atque ad nos relationis obiecta adpetimus, vt propria sua ipsorum energia iucunde nos adficiant. Quo modo cibos, vinum &c. adpetimus; b) *mediate externa sensualis*, quatenus obiectum externum ea ex ratione adpetimus, vt ab ipso pro modo a nobismet ipsis prius determinato adficiamur. Sic e. g. lapidem, lignum adpetimus, quibus a nobis in statuas transformandis delectemur. c) *Mixte sensualis*, i. e. partim sensu externo partim interno orta, adpetitio dicitur, quum obiectum adpetentes eius ad nos relationem ita determinamus, vt actiuitas, ad quam illius adfectione impellimur, ipsa fons voluptatis existat. Sic e. g. lusum cum chartis pictis adpetimus, propterea quod perpetua timoris praesertim atque spei vicissitudine inde progenita suauiter mouemur.

Immediate e contrario externa sensualis *auersatio* nuncupatur, quatenus nostrum cum obiecto quocunque commercium tollere studemus, quoniam vel iusto vehementius, vel debilius ab eo adficimur. 2) Obiectum mediate externo sensuali modo auersamur, quod modificationem a nobis tentatam, qua dein iucunde adfici possimus, haud admittit. 3) Quodsi denique obiectum auersamur, quia actiuitati nostrae, qua interne suauiter adficiamur, excitandae impar est, auersatio dicitur mixte sensualis; ita conuersationes quasdam auersamur.

Schol. 1. Ex dictis colligere pronum est, quae volitio *interna sensualis* vocetur. Eius nimirum obiectum repraesentatio est qua talis. Hanc namque adpetimus,

quatenus ea facultatis repraeſentandi actiuitas promouetur, eiusque functiones felici cum ſucceſſu excitantur. Secus autem repraeſentationem auerſamur. Patet etiam, eandem, quam in externis creuimus, diuiſionem & internas ſenſuales admittere volitiones.

Schol. 2. Volitionem, de qua redimus, ſenſualem etiam *materialem* adpellant *formali* oppoſitam, ſub qua determinatae ipſius animi actiuitatis & quarundam functionum prae aliis adpetitionem intelligunt.

§. 114.

B. *Intellectualis adpetendi facultas.*

Diſcrimen ſenſualem inter & intellectualem adpetendi facultatem praeprimis ſitum eſt in elatere (Triebfeder) i. e. *ſubiectiua* adpetendi ratione. Elater enim *vel* ipſa voluptatis ſiue taedii eſt ſenſio, isque proin ex mera ſenſualitate proficiſcitur; *vel* ideo quid adpetimus, quia finem nobis quemdam repraeſentamus, quo caſu elater in intellectu fundatur, quippe qui rei duntaxat conceptum parare, ideoque tum finem ipſum determinare, tum nexum etiam ſiue relationem finem inter & obiecta intercedentem perſpicere atque adſignare valet. Modo iam intellectuali obiecta adpetimus, quatenus finis conſequendi media ſiſtunt. Hinc, quoniam id, quod conſequendo fini, in ſe tantum contingenti, ceu medium inſeruire cenſemus, *vtile*, finem vero conſequendum impediens, *noxium* nuncupatur; conſequitur, vt facultas adpetendi intellectualis in vtile ſolummodo & noxium tendat.

Quum finis quilibet mere contingens non exiſtat, niſi quatenus entia ſumus *pathologice adfecta*: vlterius ſequitur, intellectum circa media occupatum ſeruire ſenſualitati. Exin ratio patet, quare & ſenſualem & intellectualem adpetendi facultatem vno vocabulo facultatis adpetendi *inferioris* (ſenſu latiori *ſenſualis*) comprehendant, facultatem vero adpetendi rationalem *ſuperiorem* (vel ſenſu latiori *intellectualem*) adpellent.

§. 115.

C. *Facultas adpetendi rationalis, ſeu ſuperior.*

Facultas adpetendi rationalis eo inprimis differt a ſenſuali, quod & ſenſio voluptatis ſiue taedii & Intereſſe de obiecto ſumtum volitionem ſenſualem praecedat, ſenſualem adpetendi facultatem determinans; ſenſio vero voluptatis & Intereſſe determinata prius facultate adpetendi rationali naſcatur; quae igitur ita genita voluptas dicitur *intellectualis*; pariter etiam Intereſſe *intellectuale* audit. Ideae (Vernunftvorſtellungen) generatim rationes hanc adpetendi facultatem determinantes conſtituunt, atque leges ſalutantur, quatenus cum neceſſitate, ipſis conformiter adpetendi, iunctae cogitantur. Facultas adpetendi ceu rationalis, ſiue potius *ratione determinabilis* dicitur etiam *arbitrium liberum* (freye Willkühr), vt diſcernatur ab arbitrio bruto, ceu facultate adpetendi, niſi ſtimulis, non determinanda. Ideis, quatenus agendi normam praecipiunt, nobis imperantibus, quae obſtant, facultatis adpetendi inferioris placita nonnunquam vincenda ſunt. Hinc animus (Muth) victuro eſt neceſſarius,

qui e ratione siue lege morali prodiens *virtus* (moralis, Tapferkeit, Tugend) adpellatur.

Sensio voluptatis intellectualis e conscientia actionis facultatis adpetendi rationalis legibus correspondentis progenita saepissime in causa sensualis voluptatis est, qua efficitur, vt tum rationem istam, tum eandem facultatis adpetendi actiuitatem adpetamus, & ita vice v. de contrario.

Hinc virtutem sensuali etiam modo suffulciri posse, sequitur. Pro obsequio autem legibus facultatis adpetendi superioris praestando receptiuitatem, vt ita dicam, parare valet gustus cultura. Sensionem enim pulcri & sublimis voluptas sensualis haud praecedit, nec cuidam Interesse illa innititur, nec *Complacentia* inde orta ratione indiuidui cuiusdam valore, verum potius vniuersali gaudet. Gustus consequenter cultura non nobiliori tantum cuilibet voluptati, qua mere sensualis & physicae (cum brutis homini communis) influxus coercetur, vim euoluendi suam locus datur, sed etiam homo ad praecepta facultatis adpetendi superioris vniuersalia nullo Interesse sensuali seductus dirigendis actionibus pronior redditur.

CAPVT II.

DE SINGVLIS ANIMI STATIBVS AD FACVLTATEM ADPETENDI REFERENDIS.

§. 116.

Propenſio & inſtinctus.

Subiectiua ratio, qua adpetitionis cuiusdam geneſis, determinati obiecti repraeſentationem praecedentis, *poſſibilis* redditur, *propenſio* (Hang — Trieb) ſalutatur. Animalis propenſio *inſtinctus* (Inſtinkt) dicitur, internam rationem continens, qua facultas adpetendi ad obiectum iſtud, priusquam cognoſcatur, occupandum adigitur. Si *inſtinctus artifices*, vt vocant, (Kunſttriebe) excipias, reliqui cum brutis homini communes ſunt. Ad hosce refero a) inſtinctum ſe ſuamque prolem conſeruandi ac tuendi; b) inſtinctum generis ſui propagandi (inſtinctum ſexus); c) inſtinctum ſocialem. Omnes benignae naturae nutu iſthuc tendunt, ne genus pereat, ſimili prorſus modo, ac entibus pure *organicis* vis natiua indita eſt, qua eorum quodlibet ad ſui generis formam & alia indiuidua, & ſe ipſum *ceu indiuiduum* progeneret, laeſas partes reſtauret, mutuaque conſeruatione ſe ipſum conſeruet, quanquam quaeuis entis organici pars per & in ſe viuit, propriaque vi ſe conſeruat, quatenus cum toto ente coniuncta eſt.* Prolem a parentibus animalibus

* Reil's Archiv für die Phyſiologie 1 Heft. Von der Lebenskraft. pag. 56.

nonnunquam inſtrui, obſeruationes euidenter docent, id quod ſola *imitationis propenſione ſiue ſtimulo* in infantibus etiam maxime actiuo poſſibile reddi arbitror.

SCHOL. De inſtinctu animalium artiſice praeclare ſcripſit cl. H. S. REIMARVS in libro ſuo ſub tit. „Abhandlungen von den vornehmſten Wahrheiten der natürlichen Religion.“ Hamb. 1781. pag. 299—416.; & ſpecialiter in libro: „Allgemeine Betrachtungen über die Triebe der Thiere, hauptsächlich über ihre Kunſttriebe.“ 3te Aufl. 1773. Eandem quoque materiam cum ſagacitate maximoque acumine pertractauit cl. Eraſmus DARWIN „Zoonomie oder Geſetze des organiſchen Lebens. Aus dem Engliſchen von Brandis.“ 1te Abth. p. 246—343. Qui celeberrimus Autor brutorum actionum artificialium nudo hucuſque inſtinctu explicatarum geneſin vel ex experientia ab ipſis facta, vel ex traditione, partimque inſtitutione parentali deriuat: quo tendit επιφωνημα (totius libri characteris nota): „Geh du ſtolzer Vernünftler, und nenne den Wurm deinen Bruder!“ —

§. 117.

Inclinatio.

Ratio ſubiectiua ſiue interna continuo perdurabilis, obiectum quoddam adpetendi, *inclinatio** (Neigung) audit. Inclinationem a propenſione geneſin ducere in aprico eſt. Hac nimirum indeterminata adhuc & tanquam vaga

* „Die dem Subjecte zur Regel (Gewohnheit) dienende ſinnliche Begierde, heiſst Neigung.“ — KANT.

adpetitione crebrius expleta propius determinatur, & fixa quodammodo redditur, quo fit, vt in inclinationem abeat.

Inclinationem 1) in *originariam* & *deriuatiuam* dispescunt; eius fons ipsa propensio est, haec autem ex inclinatione originaria nascitur. Inclinationes originariae determinata obiecta non petunt, sed potius obiecta generatim, quibuscum sensio sui generis iuncta est. Quodsi dein experimur, determinatum obiectum sensionis illius fontem existere, oritur primum inclinatio deriuatiua, in illud ipsum directa. Haec consequenter media, explendae inclinationi originariae idonea, potissimum attingit. Vnde immensa inclinationum hominis diuersitas explicatum ducit. Prout scilicet in hominibus diuersis & originariae inclinationes diuersae sunt, hominesque obiecta, ceu media eas explendi, diuersa seligunt: ipsas quoque deriuatiuas inclinationes esse diuersas, necessarium est. Qua maxima inclinationum diuersitate nequaquam obstante, eiusmodi tamen obiecta quum dentur, quae ceu media plurium finium ex originariis proficiscentium inclinationibus, consequendorum ab hominibus plerisque eligi possint, qualia sunt res familiaris, bona fama aliorumque erga nos beneuolentia: tres potissimum deriuatiuae inclinationes, ad dicta obiecta referendae, cuiuis fere peculiares admitti iure poterunt. *

2) Inclinationes in *naturales* & *adquisitas* diuidi possunt. Illae ex propensionibus atque instinctibus; hae ex

* Conf. cl. Hofbauer Naturlehre der Seele in Briefen. pag. 361 & seqq.

hominum cultura originem trahunt. Quemadmodum enim indigentiarum multitudinis, ita etiam adpetituum & inclinationum fertilis mater ſocietas eſt.

Inclinatio *dominans* adpellatur, cui reliquae ſunt ſubordinatae. Quam diſtincte in caſu peculiari adſignare magni profecto laboris, quin immo frequentius impoſſibile eſt. Saepe enim vna plures comparent, quarum quae principatum teneat, aegre diſcernere poſſis.

§. 118.
P a ſ ſ i o.

Inclinatio eum ad gradum euecta, vt vix aut ne vix quidem a ratione ſubigi poſſit, *paſſio* (Leidenſchaft) dicitur, cui deſignandae lingua vernacula vocabulum *Sucht* addixit. Paſſio arguit facultatis inclinationem aliquam cum ſumma reliquarum conferendi defectum.

Exin conſequitur ratio, cur brutis paſſiones non ſint. Deſtituuntur enim ratione arbitrioque libero, quocum paſſio collidit. Qua de re haec ipſa quoque homini imputatur.

Neque difficilius perſpectu eſt, paſſiones in res fungibiles (bloſse Sachen) nullatenus dirigi. Iſthae potius, prout hominis ſolius ope expleri valent; ita etiam eum tantummodo attingunt, quatenus inclinationes deriuatiuae finium inuicem aut conſenſum aut diſſenſum, i. e. vel amorem vel odium reſpiciunt.

§. 119.
Paſſionis cum affectu comparatio.

Affectus a paſſione hiſce notis diſcernitur: a) Affectus reflexionem prorſus impediens coeco rapit impetu;

paſſio autem deliberato quoque conſilio vti valet. b) Affectus impetu ſemel facto celeriter tranſit; contra paſſio, argutans etiam, perdurat, altasque in animo radices agens in venis medullisque quaſi inſidet. Hinc eſt, quare, quae affectus haud cito peragit, nunquam peragat; non ita de paſſione: libertas dein animi paſſione modo perdurabili magnoque coercetur opere, affectu vero momento ſolum temporis tollitur. Paſſio conſequenter, ceu cupiditas inhaerens atque inſita, peſſima animi aegrotatio intelligitur. c) Affectus ſimulare neſcius, quae intus contingunt, facile prodit; paſſio ſimulandi quodammodo magiſtra, recludit, quae ſubdola arte meditatur. d) Paſſio ſemel excitata, propria ſua vi tanquam creſcens, obiectum ſuum diuerſiſſimis ſucceſſiue formis, vt paſſionis gradui reſpondeat, ipſa adaptat, vnde illuſionum & errorum fertiliſſima mater exiſtit; affectus quidem perdurante efferueſcentia obiectum ſuum ſimili modo mutat transformatque;* verum affectu ceſſante error facile detectus euaneſcit.

Affectuum & paſſionum ratio reciproca nonnunquam ferme obſeruatur, talis nimirum, vt, vbi plures affectus, pauciores paſſiones habeantur.

§. 110.
Paſſionum diuiſio.

Paſſiones quum ex inclinationibus generentur, & rationem libertatemque, quibus homo in commercio cum aliis vel vtitur, vel abutitur (§. 118.), concernant: recte

* Ita XERXES mare caedere ira correptus iuſſit. — HERODOT. lib. 7.

generatim dispescuntur in passiones *ardentes* (erhitzte) & *frigidas* (kalte). Ardentes, quarum inclinationes naturales (§. 117.) fons sunt, binae habentur, passio *libertatis externae* & *passio sexus*, siue amor ardens. Ad frigidas pertinent: a) *passio dominandi* (Herrschsucht); b) *superbia* (Hochmuth — Ehrsucht); c) *auaritia* (Habsucht). Quoniam vero amoris cupidine ardente exsatiata, ipsa desinit esse passio, quae insatiabilis est; consequenter amor ceu passio physica admitti nequit; ratio patet, quare de reliquis quatuor tantummodo nobis impraesentiarum sermo esse possit.

§. 121.

A. *Passio libertatis externae.*

Studium externae libertatis, omnem vim alienam respuens, ardentis passionis specie praesertim cernitur in feris atque prorsus incultis hominibus, sortem vllam peiorem non habentes, quam seruili iugo opprimi, aliorumque regi tutela. Hinc statu belli fere perpetuo hosce agitari, ac nuspiam, historia teste, ex illata iniuria ortae vindictae cupidinis atrocissimae & nonnisi alterius, licet proprio etiam interitu, sanguine extinguendae, tot reperiri exempla, quot in gente feroci & barbara, facile explicatu est. Haec nulli praesertim adstricta solo contemnit statam habentes sedem, publicisque legibus circumscriptos.

§. 122.

B. *Dominandi passio.*

Dominandi cupido omnibus fere hominibus communis iure spectari potest. Ipsa enim libertatis externae

passio inclinationis dominandi fons existit. Ne nimirum alterius arbitrio nutuique subiiciamur, timor aliis dominandi stimuli adinstar vere consideratur. Nec non aliis dominari, plurimum respondet hominis studio ac conamini, vt maxima omnium mediorum summa potiatur, queis differentes adpetitus atque inclinationes explere queat. Cui voto flagranti reuera vis atque potentia in alios seruientes admodum satisfacit. Genesis inde dominandi passionis, omnium maxime insatiabilis, metuque continuo, ne ab aliis vi oppressis ipsi ex altissimo dignitatis imperiique iniusti gradu praecipitemur, vltra omnes veri ac boni limites ferendae. Qua igitur passione qui regitur, non seruitio tantum tenetur grauissimo, atque aliis dominari sibi persuadens, eorundem laqueis timore semet ipse tradit; verum a scopo etiam praefixo eo potius aberrat, quo magis passio isthaec excandescit, propterea quod cunctis ad illum consequendum mediis adhibitis, quibus vim inferat, eorum odium in se excitat, reniisumque semper magis magisque adauget. *

Idem etiam de passione, dominium in animos mentesque sibi vindicandi, dicendum erit. Quae indirecta hominibus dominandi passio reuera aeque saltim late patet, ac prior directa, nisi vehementior adeo & generalior sit censenda.

* . . . . „So taüschet sich Leidenschaft immer,
Schliesst freywillig das Aug' am Rande des gähnenden Abgrund's."
Schiller's Musenalm. 1800. p. 96.

A dicta hominis virium ſuarum conſcii atque energiae virtute pollentis paſſione *immediate* dominandi differt ſexus foeminei hac paſſione neutiquam liberi * *ars dominandi mediate*, i. e. virum ſuae inclinationis ipſius vinculo ita conſtringendi, vt libertatis adhuc ſpeciem prae ſe ferat.

§. 123.

C. *Superbia.*

Cupiditas bonae famae vehemens, i. e. ſtudium, vt de nobis reliqui bene iudicent, generatim *ambitio* (Ehrbegierde) nuncupatur. A qua probe diſcernenda eſt *elatio animi* (Ehrliebe); animus namque elatus ſtudio excellit nobili, ne quid dignitati ſuae contrarians vel ipſe perpatret, aut ab aliis in ſe perpatrari ſinat. Inde etiam animi elationem *ſuperbiam nobilem* ** adpellant, vt diſcrimen ſiat eam inter & ambitionem nimiam, *ſuperbiam* ſimpliciter dictam. Superbia autem intelligitur ambitio arrogantiae iuncta, qua petimus, vt alii ad nos relati ſe ipſos aut parui aut nihili adeo aeſtiment. Differt ab ea *vanitas* (Eitelkeit), quae aut nullius aut minimi pretii rebus ſuperbit. *** Hinc vanitas exigui atque imbecillis animi nota. Ceu ſpecies dein ſuperbiae notanda eſt

* Feder's Unterſuchungen über den menſchlichen Willen. 2. T. pag. 773.

** Superbiae nobis exemplum deſcribit PLVTARCHVS in vita *Fabii* Dictatoris.

*** Sic leue, ſic paruum eſt, animum quod laudis auarum Subruit, aut reficit. — HOR. L. II. Ep. I. v. 179.

nimia *gloriae cupiditas* (Ruhmſucht), qua correpti nitimur, vt nemini ignoti ab omnibus laude efferamur, quae vt perennis ſit, ſi adpetimus, habetur cupiditas *famae ſuperſtitis* („Non omnis moriar") (die Begierde nach Nachruhm), haud ſemper reprehendenda, licet facultatis imaginandi *illuſioni* plurima parte innixa. Discrimen denique inter laudis & gloriae adquirendae *auidum* *, (den Ehrſüchtigen) & *adquiſiti* honoris vel dignitatis cuiusdam innatae *tenacem* (den Ehrgeitzigen) non negligendum cenſeo, propterea quod plura inde phoenomena explicantur.

Ambitionis, diuerſiſſimo ſeſe exerentis modo, geneſeos rationes inueſtigantes ſingularem earundem vnam in eo ſitam detegimus, quod, quo gaudemus, honos indiciumque aliorum fauens dominandi paſſionis ipſius quaſi fulcrum habeatur, noſtrisque differentibus conſequendis finibus maxime reſpondeat. Contemtu enim aliorum perſecuti ſphaera agendi continuo amplianda & influxu in alios vehementer optato omni caremus. Senſio dein grata, quam ex perfectionis propriae cuiuslibet conſcientia haurimus, admodum augetur perceptione, & alios eam agnoſcentes admirari. Ratio vero, quare nonnunquam deſideret homo, vt ex illis proprietatibus laude ac gloria maxima fruatur, quas minimo etiam perfectionis gradu actu poſſideat, inde proficiſcitur, quod hoc in caſu, quo laudes de iure petere haud

* Nil actum reputat, ſiquid ſupereſſet agendum.
LVCAN.

valemus, iudicio aliorum ad noſtrum confirmandum, illis proprietatibus reuera nos eminere, maxime indigemus.

Superbiae originem facile ex dictis colliges. Verum quemadmodum dominandi paſſio, ita ſuperbia ſcopo ſuo excidit. Haec enim ceu paſſio iniuſta grauiterque ferenda omnium reſiſtentiam in ſe commouet, quum eam frangentes petulanti gaudio admodum delectemur. Nec ſuperbus, dum ſupra omnes elatum ſe opinatur, peſſimis adulatorum & adſentatorum fallaciis non implicatur. Quin immo ſuperbus abiecti atque ſeruilis animi charactere omni iure notatur. Is enim arrogantiſſimae perſuaſionis, quemuis alium ad ipſum relatum ſe parui facere debere, neutiquam foret, niſi ſe fortuna haud vltra fauente, citra omnes moleſtias humilitate ſpuria (Kriecherey) dignitati ſuae atque aliorum reuerentiae renunciaturum noſceret. *

§. 124.

D. *Avaritia.*

Auaritia *vel* eſt: pecuniae auiditas inſatiabilis, „*auri ſacra fames*"; *vel* facultatum adquiſitarum ſordida tenacitas (Knickerey — Knauſerey). Illa auide colligit, vt larga manu effundat; haec ſordide retinet, ne fortuna aduerſa ingruente egeat. ** Illa regitur imperita iuuentus,

* Conf. cl. FEDERI lib. cit. T. I. p. 229 & ſeq.

** Vt locuples moriatur, egenti viuere fato.
IVVEN. Sat. XIV. v. 137.

deliciis inhians; haec circumſpecta ſenectus, quanta difficultate opes adquirantur, haud ignorans.

Vtraque igitur, quemadmodum ex nimio ſui ſtudio ſiue *ſolipſiſmo* (Selbſtſucht) ceu fonte promanat, diuerſam dein directionem licet quaelibet ſequatur, ita tamen in pauperie rurſus confluit. Pecuniae auiditas prodiga *haud exſpectata*, tenacitas vero *arbitraria* premitur inopia. Quaeque conſequenter imprudentiae ac ſtultitiae nomine iure ſignatur.

Diuitiarum, vtpote voluptatum mediorum, auiditas nonnunquam in tenacitatem hac ex ratione abit, quia opum parte determinatae voluptatis fruendae gratia adquiſita, & intenſiue & extenſiue maiorem voluptatem, cuius obtinendae cauſa maior diuitiarum copia deſideretur, continuo imaginamur: vſque dum tempore fruendi praeterlapſo ipſa facultatum poſſeſſione, qua tali, delectemur.

Typis Franc. Ern. Nitribitt, Vniuerſitatis Typographi.